







GUILIELMUS LUDOVICUS
NASSAVIUS.







Wilhelm Ludwig
graff zu Nassauw

C.C.A. Last, Lith

Steend. Desguerrois en C°

DIATRIBE

IN

GUILIELMI LUDOVICI NASSAVII

VITAM, INGENIUM, MERITA.

SCRIPSIT

J. A. C. VAN HEUSDE.

LITT. HUM. CAND. ET JUR. STUD.

Est dulcis patriae facta referre labor.

OVID.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD JOANNEM ALTHEER,

1835.


BIBLIOTHECA BODLEIANA

PHIL. GUIL. HEUSDII

AD FILIUM

JANUM ADOLPHUM CAROLUM

EPISTOLA.

Honorem tibi gratulor, dilectissime fili, quo nuper te literarum in Academia Lugduno-batavâ Ordo ornavit. Tu fac, ut literis, quod coepisti, naviter colendis, dignum te eo praestes, et majorem etiam consequare aliquando. Illud autem in primis mihi gratum acceptumque accidit, scribendo te progressuum tuorum specimine, amorem mihi patriae probasse: qui decet sane generosissimum quemque juvenem maxime, tibi vero, qui a teneris Veterum, quos veneramur, sensibus imbutus es, deësse minime debebat. Agere enim illi ac vivere pro patria solebant; sic autem de patriae amore existimabant, ut omnes caritates unam pa-

triam complecti contenderent. Itaque lubens ego tempus animo recolo, quo superiore aestate commentationem illam tuam elaborabas. Rusticabamur: quod tibi item vehementer placet; crebri autem erant nobis de Veteribus illis, de Cicerone, de Horatio, praesertim de Platone nostro sermones, quos vagantes nos per sylvas et colles, interdum in pratis hortisque recubantes, saepius instauravimus. Hîc tu subinde majorum nostrorum mentionem injicere, admirari eorum cum caeteras virtutes, tum in patriâ tuendâ prudentiam, fortitudinem, perseverantiam: ego tibi toto animo assentiri; tu memoriter adeo illustrium virorum orationes et epistolas recitare, plenas fidei, plenas honestatis, sollertiae, judicii: ego magis etiam assentiri tibi, et vice meâ similes antiquorum sententias recitare ac declamare, tacito autem mecum beatum me patrem praedicare, qui filium his sensibus ardere viderem. Quo magis te etiam atque etiam cohortabar, ut susceptam de Guilielmo Ludovico scriptionem persequerere. Nam hunc virum, ut tu laudibus in coelum ferebas, ita ego a temet excitatus, ut una tecum ejus res explorarem, in dies majore loco habere didiceram. » Age igitur, sodes, inquam, perge, ut coepisti, Guilielmi tui vitam et res gestas enarrare: *dimidium facti qui bene coepit habet.* Nec vero tu novus hac in re

es: quid sit, perturbatis vivere temporibus, tuâ jam aetate expertus es: ausus tu adeo es una cum optimarum artium sociis, strenuis adolescentibus, pro patriâ arma induere: te ego vidi in avitae patriae finibus, hos cum commilitonibus trajicere, ut tu item in hostili regione, modo amicâ, caussam patriae, imo virtutis atque honestatis tuerere: novisti, carissimum caput, novisti reque expertus es, quid sit, morti ire obviam, tum vero rursus etiam, quid sit, sospitem et incolumem, re bene gestâ, cum exercitu victore in patriam ad parentes cognatosque redire. Victoriam hanc vos, auspice Deo, fortissimo duci, Arausionensi nostro Principi debetis, in quem apprime tu soles illud C. Julii Caesaris accommodare, *veni, vidi, vici:* quin hujus tu ducis vestri, quod animus te gratus jubet, proavum illum illustrem celebras?" — Haec ego, nec semel, sed saepius identidem et quavis data opportunitate, sive domi essemus una, seu in agrum excurreremus, sive soli inter nos ageremus, seu et mater et fratres sororesque interessent: quippe reditus me tui et incolumitatis memoria ad usurpanda illa iterandaque excitabat perpetuo. Tu vero ad haec, qui tuus esse mos videtur, vix quidquam respondere, sed agere silentio, operi naviter insistere, nec vero involando, sed progrediendo pedetentim, festinan-

do lente, *nil actum reputans*, *dum quid superesset agendum*. Sic tandem, absolutâ commentatione ac Lugdunum transmissâ, debitum de ea, quem tibi gratulor, honorem reportasti.

At vero non gratulandi solum caussa, mi fili, has ad te literas scribere in animum induxi. Perficiendum jam tibi censeo, quoad ejus fieri diligentissime potest, imo edendum specimen illud tuum. Nam suscepisse opus atque ad finem perduxisse, non sufficit: sic oportet perficere, ut quam minimum ad perfectionem desideretur. Cujus nobis studii exemplum et Veteres et nostri pariter majores dederunt. Plato, uti scis, Politiae exordio limando sic occupatus fuit, ut bis terve ab ipso in ceris scriptum post ejus obitum reperiretur. Demosthenem cives vix eo adducebant, ut ex tempore nec satis meditatus diceret, adversarii autem, cum in ejus orationibus, quod recte reprehenderent, non reperirent, lucernam eas olere perhibebant. Tantum princeps ille uterque, alter philosophorum, oratorum alter, a tumultuariis conflandis operibus abhorrebant: lucubrando illi immortalia effecerunt scripta sua. Pariter majores nostri. Non ita subito evolavit Grotii nostri *de jure belli et pacis* opus, ut evolarunt post eum sexcenta aliorum de similibus argumentis scripta; illud autem, ut antiqua illa, immortale est: haec,

ut subito apparuerunt, ita evanuerunt subito. Est vero gentis nostrae ingenio insitum plane perficiendi studium: quod artis condendis monimentis probarunt posteris. Pauca apud nos, ut apud alios populos multa, affecta opera: referunt fere majorum nostrorum curam, industriam, limandi perficiendique assiduitatem. Usurpabant lubenter Thucydidis illud: οὐκ ἐσμεν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων: hac autem factum ἀκριβείᾳ, ut non instituerent ἀγωνίσματα ἐς τὸ παραχρῆμα, sed κτήματα ἐς ἀεὶ conderent. Ab hoc tu studio, mi fili, non es, quod laetor vehementer, naturâ alienus. Ergo fac, emendes perficiasque opusculum tuum. Immortalitatem tu inde, fateor, non es, ut illi, consecuturus; sed effeceris, ut et te dignum sit specimen, nec Guilielmo tuo Nassavico indignum prorsus: tum vero etiam, quod tua quam plurimum interest, exercitaveris ita apte vires tuas. Nam quod quis maturâ aliquando aetate praeclare peracturus est, id adolescens et studuisse et tentasse et vero naviter se in eo exercuisse debet: est enim adolescentia, ut ajunt Veteres, ad virtutes omnes aptissimum, imo unicum ὁρμητήριον. Nactus autem tu es e Lugduno-batavo certamine optimam exercitationis opportunitatem. Nam judices illi, viri eruditissimi, haud pauca in commentatione tuâ reprehenderunt, alia insuper ego re-

prehendi: haec igitur emenda continuo. Sublatis illis, tu facile, quod consequi studes, assequeris: nam *virtus est*, ut ait ille, *vitium fugere*. Tum vero est in iisdem judicibus vir optimus doctissimusque, vetus amicus meus, Siegenbeekius, V. Cl. qui pro humanitate, qua excellit, lubens tibi in honestissimis his studiis tuis re et consilio proderit. Licebit item tibi publicas apud nos bibliothecas perscrutari, si qua forte in iis lateant, quae ad res Guilielmi Ludovici accuratius tradendas, tum etiam ad virum ipsum interius cognoscendum valeant: in quibus epistolae censendae in primis sunt. Sed haec tu postea: nunc commentationem, recte a te limatam et perpolitam, edas velim: non hac spe et exspectatione, ut gloriolam inde, nescio quam, captes: *principibus placuisse viris non ultima laus est*: haec autem laus tibi, mi fili, per totam vitam una sufficiet. Sed aliud tibi esse oportebit, longeque majus, speciminis edendi consilium, et proxime illud cum patriae tuo et Guilielmi Nassavici amore conjunctum. Excitaveris forte id agendo cum juvenes alios, ut naviter in patriae nostrae historiam incumbant, tum vero viros etiam, probe in illa versatos, ut e scriniis suis expromant et nobiscum communicent, quae de hac historiae parte ac de viris in ea illustribus commentati sint olim atque elaboraverint. Quod ubi

effeceris, vides, quantum hac tu aetate gravissimis rebus nostris consulueris. Nam interest patriae, interest omnium, qui bene de ea mereri cupiunt, non negligi ejus historiam virorumque, quos edidit, magnorum memoriam, sed instaurari ac celebrari, ut sciant posteri, quibus e majoribus orti sint, et habeant iidem, quos in rebus gerendis sequantur et imitentur. Nec temere contendere videmur, talem nostrae in primis aetatis indolem rationemque esse, qualis maxime sit ad patriae historiam conscribendam idonea. Nam primum, discessit totum, quod me puero et adolescente vigebat, partium studium. Nemo illa aetate de principibus Arausionensibus scribebat, nisi qui Arausionensium esset partium: fiebatque illud raro, prouti decebat, explorandi cognoscendique, plerumque vero laudandi caussa. Factionis, cui favebatur, tuendae ac contrariae impugnandae coärguendaeque, non veritatis in luce ponendae ratio habebatur. Nunc, *verum nos*, ut Ciceronis verbis utar, *invenire volumus, non tanquam adversarium aliquem convincere.* Veritatis studium, si unquam in rebus gentium perscrutandis, his nostris temporibus dominatur plane. Invaluit etiam apud nos magis magisque philosophiae studium, non istius dico philosophiae, quae falso hoc nomine dicta est, quaeque a priori omnia, ipsam

historiam gentium repetere solet et veluti ex tripode de rebus omnibus pronunciat; sed antiquae, sed Socraticae ac Platonicae, quae veritatem spectans unice, verum nos indagare optimâ via et ratione docet. Criticae illa parens est, qua neglectâ, nemo se putet ullos in historia progressus facturum esse: eademque ad mores hominum cognoscendos interius, ad virorum in primis, qui maximas in historia partes habuerunt, consilia factaque recte judicanda valet plurimum: quod suo nobis exemplo et Xenophon et omnium maxime Plutarchus declaravit. Hujus igitur philosophiae cum instauratum apud nos studium sit, ut juvenes eo sponte sua, et optimi quique maxime, ducantur, fieri non potest, quin ad artes omnes majores resque patriae nostrae recte tractandas explicandasque fructuosissima sit. Quid? quod hodieque historica documenta undique congeruntur, nec sumtibus nec labori parcitur, ut ex ipsis aliquando fontibus omnis nostra historia et ducatur et explicetur? Testis temporum historia est ac vitae magistra: quodsi sic excolitur perpetuo, erit item recteque vocabitur *lux veritatis*. Sed incitamentum ad hanc rem recte capessendam gerendamque efficacissimum, quodque huic maxime aetati nostrae proprium est, nondum commemoravi. Ipsa, mi fili, patria nostra paucis his annis revixit plane. Si

qui unquam mortales, ego et aequales mei utramque fortunam in caussis politicis experti sumus. Universam ferme Europam vidimus communi tyrannide opprimi atque exhauriri, mox liberari eâ atque ad pristinam libertatem ac prosperitatem redire. Tu illo tempore nondum natus eras; sed, quod patriam attinet, vidisti tu mecum, unam hanc in Europa terram fuisse, quae partâ illâ communi omnium libertate uti sciret. In caeteris regionibus populi, in vicinis proximisque nostrae praesertim, libertatem cum licentia confundebant, ut summa imis miscerentur. Nos vero prudentius: novarum rerum non eramus cupidi, cum praesentes nobis satis se bene habere viderentur: fruebamur igitur tranquillo gratoque animo, quibus Deus nos beaverat, beneficiis; sed iidem nos, quum tuto iis frui haud diutius liceret, quum aggrederentur terras nostras undique profligatorum deperditorumque hominum turbae, quum nostram in perniciem totus agitari orbis videretur, tum vero non requievimus, sed demonstravimus Europae, ut fecerant ante bina haec triave saecula proavi nostri, quid populus valeret modestus, a licentia alienus, verae libertatis amans, justitiae vindex, fidus Regi suo suisque obtemperans legibus, concors denique et concordiâ invictus. Harum tu rerum, mi fili, quemadmodum gestae sint, testis fuisti mecum: vidi-

mus nos illico omnes, summos infimos, divites pauperes, validos infirmos, pueros adeo et senes nec foeminas minus, quam viros, universos vidimus summo ardore excitari, ut quacunque possent ratione patriae succurrerent: nec vero impetu moveri quodam, ut subito exardescerent, mox refrigescerent, sed agere constanter, perpetuo, quidvis facere et perpeti paratos. Adhuc, tribus propediem exactis annis, in excubiis manent cives nostri, ab uxoribus liberisque remoti, dolentes quidem illi et aegre ferentes sortem suam, nec tamen inviti. Quid plura? Nam Regis nostri quid constantiam memorem? Fuit ille, ut *parens* ille *patriae* olim, *adversis rerum immersabilis undis.* Aut facinora quid referam praeclara, quae terrâ marique per omne hoc tempus a nostratibus commissa sunt? Heroicam nobis plane gentis nostrae aetatem retulerunt. Fateamur igitur necesse est, novam aetatem, imo *vitam* quandam novam ingressam esse et *revixisse* patriam nostram: id vero reputantibus, quod tandem esse nobis incitamentum ad res ejus cum interius explorandas, tum in lucem proferendas, tum celebrandas recte, majus efficaciusque potest? Sed ad te redeo, mi fili.

Ut vidisti haec, ita et te et fratres et commilitones et juvenes quosque generosissimos decet, servatam patriam, imo renatam, quibuscunque potestis re-

bus, ornare: potestis autem moribus, discendi ardore, colendis doctrinis quibusque maximis, meritis in res ejus gravissimas: his vestrum, inquam, officium est et ornare patriam et partam ejus gloriam augere et confirmare. Nam nobis senioribus vos estis brevi, hoc ipso aetatis flore et vigore, successuri, ut vosmet jam maxime respiciat patria nostra. Ipsam mihi videor ejus vocem audire, cum, oculis in vosmet conversis, sic fatur: *in vestra caritate, adolescentes, vestrisque optimarum artium studiis acquiesco: hinc mihi ornamentum, hinc praesidium exspecto; sed, ne frustra exspectem, vos cavetote. Dos est magna, quae vobis obtigit, parentium virtus: hac vosmet dignos praestate, nec tantum literis artibusque majoribus laudabiliter tractandis, unde quis sibimet ipsi mihique gloriam consequatur, sed etiam omniumque maxime, ut illi factitabant majores vestri, virtute colendā. Gloriam ego nunquam aspernata sum, sed nullam concupivi, nisi quae meritis esset quaesita; meritis autem parum tribui, nisi quae cum moribus vitaeque integritate et sanctitate essent conjuncta.* Haec patria ad alumnos suos: quae tu sane, mi fili, paterno ore prolata, lubens accipies ac memori pectore recondes. Ego vero, quod addam iis, nihil habeo, nisi hoc unum, carum te mihi esse, caros fratres,

caros amicos juvenesque omnes, quotquot moribus non minus, quam meritis patriam nostram ornatis; tum vero vos omnes longe mihi carissimos futuros, ubi constanter vos tenuisse verissimae gloriae virtutisque viam videro. Vale, dilectissime fili: et hanc epistolam sive solus velis legere, sive cum aliis et patriae et nostri amantibus communicare, sive etiam commentationi illi tuae, ut proditura est, praemittere, per me tibi, utcunque volueris, licebit; tu vero eam paterni mei erga te amoris perpetuum habe, me etiam defuncto, monimentum. Scr. ruri m. Sext. a. MDCCCXXXIV.

ORDINI

LITERARUM ET PHILOSOPHIAE

S. P. D.

AUCTOR.

Dispicienti mihi jam dudum et quaerenti istiusmodi ex historia gentium argumentum, in quo explorando commode virium mearum periculum facerem, evenit, Viri Clarissimi, ut Quaestio a vobis ad a. 1834 proposita ad disceptandum offerretur. Qua, quum *Guilielmi Ludovici, primi e gente Nassavia Frisiae et Groningae Gubernatoris, vita et res gestae, cum ingenii atque in Rempublicam meritorum judicio* postularentur, optatissima mihi data opportunitas videbatur. Neque enim historicum duntaxat argumentum nanciscebar, sed ex hac historiae parte desumtum, quae patriae nostrae fata subjectam sibi materiem haberet. Ut

autem majorum instaurare animo virtutes et res gestas, sive ipsi narremus, sive narrantes alios audiamus, jucundum omni tempore esse solet, ita hac eas aetate recolere, qua gens nostra tam eximie earum se memorem et tenacem probavit, plurimum videtur commendationis habere. Et versari quidem in describendis excellentium virorum vitis, universe placet; sed ejus viri commendare memoriam, quem et bello inclaruisse, et pacis artibus favisse, et praeclarum patriae fuisse ornamentum, accipimus, omnium maxime advertere animum ac permulcere debet. Quid? quod Guilielmus Ludovicus eum habuit patrem, e cujus nobilissima stirpe praeter Frisones, Guilielmus I. Rex noster augustissimus, tam illustre et generis sui, et nostri seculi decus, ortus est. Et vero, lucere mihi nondum in patriae nostrae historia, ut par erat, Guilielmi Ludovici virtutes ac facinora videbantur: obscurata, si quid videbam, illustris aequalis amicique *Mauritii* splendore. Hanc ob caussam, ne perpendendis rationibus immorarer, tempusque perderem, suscepi continuo opus. Sensim, ut progrediebar, difficultatibus offendebar modo levioribus, modo majoribus ac gravioribus: sed quaenam tantae poterant objici, ut haberentur invictae, et ad despondendum animum quam ad inflammandum efficaciores? Ceterum ad persequendum iter, ut argumenti gra-

vitas, ita fontium, quibus utendum mihi esset, praestantia invitabat; atque major etiam accedebat scribenti fiducia, quum reputabam, non id sibi Nobilissimum Ordinem propositum habuisse, ut elaborati quid omnibusque numeris absoluti promeretur, sed diligentiae et assiduitatis exhiberetur specimen.

Instituenti autem iter perpetuo mihi auxilio fuit libellus, ab Ubbone Emmio conscriptus, qui ut orationem in Guilielmi obitum continet, ita vitam ejus, animi ingeniique dotes exponit. Auctor, qui familiaritate Principis per viginti sex annos usus est, plurima retulit, quae aliunde cognosci non poterant. Egregii quoque usûs fuere Eberhardi Reidani *Bellorum Belgicorum Historiae*, cui longa cum Guilielmo consuetudo res multas memorabiles suppeditavit. Hugonis autem Grotii *Annales et Historias* assidue adhibui: huic enim, praeter cetera praeclara merita, non ultimam accedere conscribendae historiae laudem, persuasum mihi habebam, Siegenbeekii imprimis, Viri Cl. auctoritate. Historica opera Metereni, Borrii, Hooftii, Wagenarii, Baudartii, Winsemiique *Chronicon Frisiae*, consului, neque a legendis Stradae, Bentivoglii, Dinothi, aliorumque scriptis abstinendum esse statui: quamquam parum mihi ex illis proficere licuit. Usus etiam sum libello, sermones po-

liticos continente, titulo: *Schuit- en Jagt-praatjes*, Harlingae a. 1757 edito, cujus auctor, nomen non professus, acute de rebus patriis judicasse videtur: argumento sit Praefatio Stylii, quam historici operis secundae Editioni praemisit, p. 41. Si quae vero alia forte opem mihi tulerint, eorum suo loco mentio fiet.

E propositae Quaestionis ratione sponte disquisitionis nostrae partitio fluxit. Namque a viri vita et rebus gestis enarrandis orsi, ad ingenii animique judicium progressi sumus: tandem, quae fuerint ejus in Rempublicam merita, exponere studuimus.

Ceterum hoc meum qualecunque opusculum vestro, Viri Cl. subjicere judicio dubitassem, nisi constitisset mihi, in vestra humanitate infantiam meam satis praesidii esse habituram. Valete, mihique ac studiis meis favete!

INTROITUS.

Admirari saepius cum admixto quodam venerationis sensu soleo bellum illud diuturnum, quod variâ fortunâ gestum, felicissimos patriae nostrae eventus peperit. Quod quidem ut legitimo prorsus modo in Hispanos susceptum fuit, sic tanta alacritate et constantia per octoginta annos continuatum, ut et nostra et vero exterarum gentium admiratione maxime dignum fuerit. Ad ea tempora quoties animum adverto, toties amore erga illos incendor, qui libertatis nostrae vindices, et virtute sua nominis memoriam commendarunt, et exemplo posteros excitarunt ad tuendam patriam adversus dominationis vim et libidinem. Eoque magis venerari eos et colere par est, quod maximis pressi calamitatibus, posthabitâ privatâ auctoritate et gloriâ, jura populi et leges ab alieno arbitrio defendere perseverarunt. Quamvis enim hi libertatis patroni non eos, quos cupiebant, progressus facerent, saepiusque adversâ, quam secundâ fortunâ uterentur, confidebant tamen, optime rem aliquando esse evasuram. Idque

probavit rerum eventus. Guilielmus I, cujus vita in primam ejus belli aetatem incidit, educatus in aula Caroli V, indolem gentis Hispanicae cognoverat, et profecerat inde multum ad tempestates gravissimas acuto consilio avertendas. Prudentissimi viri opera eatenus causae nostrae profuit, ut libertatis fundamenta recte ab eo posita sint; requireretur autem, qui illo haud inferior prudentiâ et animi magnitudine, susceptam rem laudabiliter persequeretur ac consummaret. Talem profecto Mauritius se probavit, qui patri Guilielmo ceteris virtutibus par, superavit eum fortitudinis laude, mentisque alacritate. Horum duumvirorum meritis sine dubio tribuendum maxime est, ut ex miserrima conditione laetius surrexerit respublica nostra; attamen ingrati animi accusaremur, si aliorum salutarem operam silentio praetermitteremus. In quorum numero cum alii bene multi recensentur, tum, qui e gente Nassavia ortus, nobis disserendi materiam praebebit, Guilielmus Ludovicus, Frisiae et Groningae Gubernator. Hic qualis quantusque fuerit, quaerere operae pretium est: in quo ita versabimur, ut tres praecipuas vitae ejus partes singulatim exponamus, hisque brevem de ingenio ejus et in rempublicam meritis adjungamus disquisitionem.



VITA
GUILIELMI LUDOVICI.

§. 1.

PUERITIA VIRI AC JUVENILIS AETAS.

AB A°. 1560—1585.

Natales. Pueritiae studia. Ingenium. Heidelbergam proficiscitur. Redux Belgicam petit et cum Arausionensi versatur. Iter in Angliam instituit. Legioni Nassavicae praeficitur a Frisiis. Rerum in Belgica status post Albani discessum. Rennebergii defectio a Foederatis. Groninga ab eo occupata frustra obsidione cingitur. Pugna ad Hardenbergam. Delphizylium et Upslachtum a Rennebergio capta. Merodius Arausionensis in Frisia vicarius. Guilielmus ad Covordium vulneratus Campos defertur. Covordium Batavis deditur; mox cum Oldensalia aliisque oppidis ab Hispanicis recuperatur. Dotocomo frustra tentato Stenovicum movet Rennebergius, sed discedere coactus obit. Gelria regunda obtingit Guilielmo Bergensi. Rennebergio succedit Verdugo. Occupat Reidam. Pugna ad Northormam. Lochemum obsidio foederati liberant: dedere Stenovicum coguntur. Philippo imperium Belgicae abrogatur. Zutphania a Regiis occupata. Merodio in vicariam Frisiae gubernationem Guilielmus succedit: provinciae conditio et vis militaris. Verdugonis copiae. Guilielmus frustra Stenovicum contendit. Obitus Arausionensis. Guilielmus Gubernator Frisiae creatus.

Natus est Guilielmus Ludovicus die 13 mensis Martii 1560 Siegenae, quod oppidum est in Comitatu Nassavico ad Siegam amnem, lautum, pene liberum, suoque in creandis magistratibus jure praeditum. Patre usus est Joanne Nassavio-Dillenbur-

gensi, qui Principis Arausionensis frater, etsi plurimam aetatem in Germania transegerit, tamen, ut rebus nostris afflictis subveniret, Gelriae praefecturam obiit, et sic munere eo functus est, ut bonis omnibus triste sui abeuntis desiderium relinqueret. Mater Isabella Luchtenborgia, haud ignobili loco nata, virtute erat insignis, et maternâ curâ numerosam prolem prosequebatur; nam sex filiis et quatuor filiabus gentem Nassavicam ornavit, ex quibus Guilielmus natu maximus erat. Habebant parentes, quod sibi de filio gratularentur: praeclaram enim iis spem naturae bonitas faciebat, neque obscure, quae succrescebant, animi ingeniique vires, qualis esset futurus, significare videbantur. Quae pueritiae vulgo oblectamenta habentur, alea, pila, tali, placere ei non poterant: delectabatur equorum cursibus; hos conscendere, his vectus oberrare lubebat; ad haec armorum vibrationes et exercitia cordi erant, ut Martis eum filium praedicares. Mature tamen, ne nimis his studiis adhaeresceret, cautum a parentibus fuit; qui a teneris inde iis artibus informari eum et erudiri curarunt, quibus solet illa aetas impertiri; neque parum domestica exempla valuerunt, ut tener animus virtutis principiis imbueretur. Sic factum, ut magistris docilitate, obedientiâ parentibus, commilitonibus fide ac facilitate, amore fratribus, omnibus

denique morum se amabilitate commendaret. Nulla in puero indolentia, nulla socordia; contra semper vigilans, alacer, irâ non aestuans, si subirasceretur, placabilis; reformatae religionis praecepta sancte colens, pietate erga Deum conspicuus. His ingenii animique dotibus praeditus, ubi sextum et decimum aetatis annum egerat, Heidelbergam a patre missus est, comitantibus, quibus peculiaris ejus cura mandata. Sic factus voti compos, ut insatiabilem expleret discendi ardorem, animumque ad liberaliora studia applicaret, Academica institutione haud indignum se praestitit; et licet jam satis ingenio valeret, ut per se hoc novum stadium ingrederetur, tamen e re ejus magnopere erat, ut Heidelbergae haberet studiorum socios et aequales, quibuscum aemularetur, Mauritium patruelem, fratres Joannem, Georgium, Philippum, et quatuor propinquos, Comites Bergenses. Hi enim omnes in eandem disciplinarum sedem cum eo profecti erant. Latet nos quorumnam virorum institutione ibi usus sit: constat eruditione eos ac pietate conspicuos Frederici III Septemviri benivolentia ac favore fructos fuisse. Cujus Principis repentina mors et civibus magnum luctum attulit, et causa fuit Guilielmo ceterisque aequalibus, ut, rebus illic conversis, postquam per annum et aliquot menses Theologiae operam navaverant, domum revocaren-

tur. Itaque in patrios fines redux, paullo post cum patre iter in Belgicam instituit; qui cum jam dudum indolem filii prorsus militarem animadvertisset, satius ducebat committere eum fratris Arausionensis curae, ut bellicam artem addisceret, quam in umbram domesticam reducere: quodsi autem quis esset in terris, qui insitam adolescentiae vim posset eximie promovere, Arausionensis sine dubio hic talis erat. Hoc ergo duce militiae perdurare labores, regundae civitatis rationem percipere, subtiles machinari hostibus artes et insidias, sensim paullatimque discebat. Oblatâ deinde opportunitate, Proceribus quibusdam, Reipublicae causa in Angliam profecturis, a patruo itineris socius commendabatur, ut Elisabetham, superbam Reginam, et regnum Angliae cognosceret. Unde itinere maritimo reversus, patrui, cujus ab ore pendebat, a latere numquam discedebat, adeo sibi gratiam conciliavit, ut filii instar ab eo diligeretur. Quo auctore mox equitibus adscriptus, fortitudinis suae identidem specimina edidit; qua re mirifice laudatissimo magistro placens, atque praeclara omnia jam spe et meditatione praecipiens, nominis quandam famam consequebatur. Delitescere amplius in Arausionensis castris generosa indoles recusabat; suopte consilio agere volebat, ad laudes praeclarorum virorum strenue adspirans. Nec spem inanem conceperat.

Viginti annos natus, rebus gerendis par, a Frisiis arcessebatur, ut legionis integrae, cui nomen Nassavicae datum, praefecturam reciperet. Qui nuncius quam gratus juveni accideret, credi vix potest; instigabatur autem maxime, ut honore illo dignum se probaret. Et satisfecit eorum exspectationi, ita ut collati in eum beneficii eos non poeniteret. Vix enim in Frisiam se receperat, cum fortitudinem suam ac prudentiam probare in Groningensi obsidione cogeretur. (1) Sed priusquam eam referre pergamus, necesse est, ut paucis rerum in his regionibus conditionem adumbremus.

Ex quo Dux Albanus Belgicâ discesserat, horrificâ nominis memoriâ relictâ, novi deinceps a Philippo missi rectores erant, e quibus Alexander Farnesius, Dux Parmensis, qui hoc tempore rerum summam tenebat, plurimum praestabat prudentia ingeniique acumine. Is etsi aperto Marte cum Belgis confligendum esse judicaret, tamen a fraude minime alienus, clandestinis consiliis propositisque praemiis labantes quorundam animos ad defectionem sollicitabat. Plurimos sane decepit; alios vero, rem nefariam aversatos, irritabat magis. Hos quippe foedus sociale, d. 13 Jan. 1579 Trajecti ad Rhenum ini-

---

(1) Ubbo Emmius, Vitâ Guil. Ludov. p. 28-31. — Winsemius, Frisiae Chron. l. XVIII. p. 664. — Aitzema, Vredehand. der Vereen. Nederl. I. d. p. 3.

tum, continebat, ita ut molestissime ferrent, nonnullos ruptâ fide ad patriae hostes desciscere. Nam foederis illius, quod Arausionensem praecipuum auctorem habuit, haec erat ratio, ut arctius conjungerentur septem Batavicae regiones ad arcendam Hispanicam vim; acuteque viderat Princeps, quam necessarium tale vinculum esset, postquam pacis Gandavensis leges negligi coeperant; quod ea, quae secuta sunt tempora, evidentissime probarunt. Ergo, quantum poterat, a Parmensis insidiis servare populum studebat; et si qua parte inclinare voluntates ad regias videret conditiones, in tempore iis obviam venit. Nec tamen omnibus dolis praevertendis sufficiebat, qui non ab externo solum hoste, sed etiam a civium suorum, maxime procerum invidia peteretur; quorum suspicionibus ne imprudenter serviret, metu tenebatur. Namque erant permulti, qui affectare eum principatum statuerent, eamque ob rem Matthiam Imperatoris Rudolphi fratrem ad gubernationem evexissent. Hunc vero parendo quam imperando aptiorem, eo mox perduxit Arausionensis, ut sibi permitteret Reipublicae gubernacula, ipse otio marcesceret. Icciroo dum iterum civitatis saluti efficacius vacabat, eveniebat, ut sedatis discordiis civilibus, dissidia de religione, aliquamdiu suppressa, suscitarentur. Originem ceperant, quo tempore Atrebatensis Episcopus in

Belgica constituere Episcopatus jussus a Rege Philippo erat. Quae res excitabat factionis Protestantium iram, acriorem quo recentior in Republica nova religio erat. Hinc ortae perpetuae illae adversus Granvellanum querelae, hinc perturbationes exitiosae, hinc populares furores et iconoclastarum impetus. Accesserat Inquisitionis immanis licentia, qua etsi sperasset Rex libertatis studium se exstirpaturum, contra excitaverat magis et inflammaverat. Consopitae deinde prudentium virorum operâ factiones, nunc contendere rursus coeperunt, et maxima mala civitati minabantur. (1)

Dum haec ita seditiose geruntur, inauditum scelus foederatorum Rempublicam in discrimen vocat. Frisiae, Groningae, Transisalanae et Lingae praefecturam eo tempore tenebat Georgius Lalainius, Comes Rennebergius. Vir erat eximiis ingenii facultatibus praeditus, et, si quis alius, dignus visus, qui tam insigni munere ornaretur. Bene meruerat de patria, quod propensos nonnullorum ad Regem animos, partim monendo, partim auferendis honoribus, a proditione averterat; et vero illo auctore Groningensium et accolarum inimicitiae sedatae aliquamdiu fuerunt. Quibùs meritis optabile sane

(1) Bor. van Meteren. Hooft. Grotius. Stijl. Wagenaar. Heeren, Handb. der Geschichte des Europaeischen Statensystems. P. I. p. 108. seqq.

erat, ut reliqua vita responderet; sed subito mutatus animus, quique primus pertraxerat cives suos in foederis Trajectini societatem, primus eam violavit. Mens enim ejus non satis constans, resistere cognatorum precibus, partes regias amplexorum, non poterat. Accedebant Parmensis pollicitationes, quibus aures praebebat: ab eoque inde tempore prodendae patriae consilia iniit, ita tamen ut dissimulanter adhuc ageret, meditaretur autem perpetrandi sceleris opportunitatem. Sed suspectam jamdiu ejus fidem habebant Frisii, ex interceptisque litteris Covordii occupandi consilium nudabatur. Statim proditionis fama Trajectum ad Rhenum perlata ad Arausionensem: fidem is primum negare, sed lectis litteris arcessere Comitem; nectenti moras iterum mandare, ut Campos se conveniret. Interim Groningâ Rennebergius die 3 Martii 1580 potiebatur non sine magna civium caede. Ceteros item, qui imperio suo paruerant, praesertim accolas, abalienare a foederatorum partibus studebat; at hi, exosi rem adeo scelestam, obsidendae urbis duce Cornputio, ad cujus auxilium postridie Bartholdus Entenius cum Frisiorum manu advolabat, initium fecerunt. (1)

(1) Fresinga, Memorien, p. 18-161. — Reyd, Nederl. Oorlogen. l. II. p. 23. — Van Meteren, l. III. p. 82-373. — Bor, l. XII. p. 25. — l. XIV. p. 187. — Hooft, l. XIII. p. 560. — l. XVI. p. 681. — Grotius, Ann. l. III. p. 55-68.

Talis quum politica patriae nostrae illis temporibus conditio esset, Guilielmus Ludovicus cum Philippo Hohenlojo Groningam, ut ejus urbis obsidio majore studio inciperetur, profectus est. Urbem verosimiliter ad angustias redegissent, nisi Entenii consilium, fame cogendam civitatem esse perhibentis, intervenisset. Nam obsidentes quinquaginta quatuor peditum centurias, mille ducentos equites habebant. Frustra tentatus ab Entenio temulento in Scutendipum, Groningae suburbium, impetus; capite ille temeritatis poenas in hoc proelio luit. At Parmensis captae Groningae a Rennebergio nuncium accipiens, noluit subsidio ei Hispanicas legiones mittere, inepte credens majoris sibi momenti bellum Belgicum esse. Tandem urgente Rennebergio manus aliquot militum, duce Martino Scenkio, qui stipendia quondam sub Batavis meruerat, misit. Cui appropinquanti cum cohortibus Hohenlojus, qua erat imprudenti in rebus gerendis alacritate, aditum ad Groningam praecidere studuit. Magnis itineribus fatigatum exercitum adversus Scenkianos coenatos et integros in pugnam ad Hardenbergam eduxit, tristemque belli fortunam sortitus est. Quantum offecerit imprudentia ejus rebus Batavicis, mox patuit; nam victoriâ elatus hostis, expeditam habuit ad liberandam Groningam viam. Relicti ibi in castris Guilielmus et Sonojus erant, qui, acceptâ cla-

dis Hohenloji famâ, suos cum nollent in discrimen vocare, subito stationem d. 18 Junii deseruerunt. Neque praematurum eorum consilium fuit: nam suppeditandis identidem petenti Hohenlojo auxiliis, adeo debilitatae vires erant, ut proelium committere cum Hispanicis non possent. Quin potius laudandi illi nobis, quod milites suos, adventantis Scenkii perculsos metu, ac per oppida varia dispersos, cito coegerunt, atque in ordinem redegerunt. Idem fecerat Hohenlojus, et cum copiarum reliquiis Oldensaliam ab expugnatione servarat. At perterriti in agro Groningano accolae maximo numero solum verterunt, ne praeter agros et pecudes ceteraque bona, ipsi quoque Hispanorum lubidini objicerentur. Postquam Groninga obsidione liberata erat, conjunctis viribus Rennebergius et Scenkius d. 20 Junii Delphizylium castellum in Amasi ora, quod a trecentis militibus tenebatur, oppugnarunt; inde Upslachtum cum militum manu progressi, quingentos praesidiarios captivos, quibus vitae spem fecerant, crudeliter trucidarunt. Ante quidem Guilielmus Frisiaeque Ordinum Legati afferenda praesidio necessaria curaverant, sed cum afferebantur deditionis jam leges convenerant. (1)

(1) Fresinga, p. 181 seqq. Van Meteren, l. l. p. 383 seqq. Bor l. XV. p. 214 seqq. Reyd, l. l. p. 28. Hooft, l. XVI. p. 691 seqq. Grotius, l. l. p. 69.

Interim post Rennebergii defectionem, Matthias Arausionensi Frisiae Gubernationem obtulerat, sed is, tam variis negotiis intentus et fere obrutus, Bernardum Merodium, Dominum Rumensem substituerat in suum locum. Opportune hoc tempore foederatorum exercitus auxiliis Anglorum, quibus datus Norisius praefectus, increvit. Itaque cum magnopere sua interesset, ulterius hostes arma ne moverent, expulerunt eos ex Wardenbrassaeo castello, et rectâ Covordium tetenderunt, quae urbs cum castello in Rennebergii tum potestate erat. Hic autem Guilielmus in summum vitae discrimen venit. Nam quum die 12 Sextilis vespere cum Hohenlojo ponti et arcis vallis obequitaret, locorum investigans opportunitatem, qua tentandus impetus tutissime foret, accidit, ut globus sex librarum, ex majore tormento forte emissus, Guilielmo crus sinistrum infra genu contunderet. Rem primum flocci pendebat, neque discedere a suis cogitabat, cum postridie ingravescente malo, Hohenloji monitu, solum se Suollam indeque Campos curriculo abduci pateretur. Ibi medicorum opera usus cognovit, vulnus maximi momenti esse, nec servari vitam nisi amputato crure posse. Interjecto tamen tempore hac sollicitudine levabatur; ac cruris quidem jacturam non fecit, sed claudus in posterum mansit. Quantâ autem vi percussum fuerit, colligi inde potest, quod

signifero cuidam, pridie e carcere Groningano dimisso, ejusdem globi impetus vitam abstulit. (1) At Hohenlojus post biduam oppugnationem Covordii arcem ad deditionem compulit, et majora consecutus fuisset, nisi imprudenter bipartito copias divisisset. Anglicis enim cohortibus Lingam digredientibus, ipse cum ceteris Weddam contendit, unde relicta iterum copiarum parte Slochteram se recepit. Rennebergius, ubi divisione debilitatas ejus vires videbat, continuo eum aggressus est, coque perpulit, ut recedens in Bortanianas paludes, proelio commisso tristem cladem subiret. Tum Covordium, Oldensalia, Othmarsum, aliaque oppida in manus hostium redierunt. Neque vero Guilielmus etsi cruris doloribus adhuc Campis laboraret, a suis animum avertebat; omnes copiarum motus exquirebat sedulo, atque ubi dissipatas duce Caulierio cohortes suas die 8 Septembris cognosceret, per litteras a foederis legatis auxilia rogavit. Hostes prospere rem gerentes, longius procedebant; Suollam obsidere ob militum inopiam non ausus Rennebergius, Dotocomum tentavit, sed obstinata obsessorum virtus discedere eum coëgit. Inde die 8 Oct. castra Stenovicum movit, spe plenus fore ut sibi cives,

(1) Emmius, p. 35. Fresinga, p. 225. Van Meteren, l. l. p. 399. Bor, l. l. p. 221. Reyd, l. l. p. 50. Hooft, l. XVII. p. 707. Winsemius, l. l. p. 678.

animis ad Hispanos inclinantes, urbem traderent. At secus res accidit; fortissimi praesidiarii, numero sexcenti, praecipuâ Joannis Cornputii operâ, ita excursionibus exercitum hostilem, qui sex militum millibus constabat, fatigarunt, ut transacta in castris hieme, quinto ab obsidionis initio mense, postquam bis oppidani recreati commeatu erant, solvere obsidionem Rennebergius debuerit. Cui eo acerbior eventus iste fuit, quod Parmensi non multo ante nunciaverat, se brevi omnem eam ditionem, quam rexerat antea, imperio Regio esse adjecturum; jam vero unius oppiduli constantiâ impeditus victoriarum cursus desperare eum de belli fortuna jussit, attulitque ei tantum moeroris, ut m. Quintili anni 1581 diem obiret. Contra ingens exstitit per foederatas regiones ob insperatum successum laetitia, et per continuos aliquot dies ludis vacatum est. (1) Sed hic nobis Guilielmi Ludovici caussâ res Gelriae verbo memorandae sunt.

Provinciae huic per biennium egregie praefuerat Joannes Nassavius; sed eum conjugis obitus, et Principum Germanicorum propter initas a foederatis de Valesio deliberationes ira, reditum in patriam parare cogebant. Dissensio orta de novo

(1) Fresinga, p. 238 seqq. Van Meteren, l. l. p. 458 seqq. Reyd, l. l. Bor, l. l. p. 224 seqq. Hooft, l. l. p. 710 seqq. Wagenaar, l. XXVII. p. 557 seqq. Grotius, l. l. p. 69.

Gubernatore creando; nam cum Arnhemenses Guilielmum Ludovicum exoptarent, (1) ceteri omnes, quibus nomen Nassavium invisum erat, alium praeferebant. Inita consilia a Gelriae Ordinibus cum Arausionensi, et commissa gubernatio Comiti Guilielmo Bergensi, cujus mox patuit et ingenium et voluntatem provinciae commodis obstare. Quare subtimide eum Arausionensis, nec nisi urgentibus Gelris, commendare ausus erat. Rennebergio autem mortuo Franciscus Verdugo, infimae plebis homo, successor a Parmensi datus, cui acrius ingenium, majorque militaris artis peritia, idem vero impurus animus. Novi muneris initium fecit m. Sextili occupandâ Reidâ, quod oppidum est ad Amasum, e regione Emdae situm. Inde persecutus Norisium, equitibus auctum, quos Guilielmus ducebat, acriter cum eo ad Northormam acie conflixit. Primum favere Ordinum copiis, dein adversari fortuna coepit; namque educto in hostem equitatu, rupit continuo aciem Guilielmus, ac fortiter fugientes persecutus est. Ipse tamen quinque glandibus plumbeis petitus, a quarum ictu loricae praesidio salvus evasit: crure quoque glandem excepit, sed innoxiam. Aliquantum viae persecutus hostem, quum respiceret forte, reliquam foederati exerci-

(1) Reyd, p. 29.

tus partem fugâ se expedientem vidit: quare, ne ab ea disjungeretur, retrogressus, ei se adjunxit. Haec prima fuit Verdugoni victoria, die ultimo Septembris reportata. Deinde Lochemum, munitissimum oppidum in agro Zutphaniensi, proximi anni 1582 m. Sextili circumvenit obsidione, ut fame tentaret; statim illuc festinarunt Hohenlojus et Guilielmus, quorum hic magnam intus rerum inopiam esse accipiens, dum obsidentes pugnâ distraheret, multos currus commeatu graves in oppidum invehi curavit. Quo facto diligentius sepsit aditus Verdugo, quasi novas invectiones impediturus. At vero omnem ejus curam et vigilantiam belli duces eluserunt, qui comparatis novis copiis, repulso hoste, iterum necessariis praesidium instruxerunt. Quod dum fiebat, permulti se receperunt in oppidum, penuriamque maturarunt. Tertiam ergo invectionem meditatus Guilielmus, feliciter peregit, eoque laborum suorum eventu fruitus est, ut d. 22 Sept. deserere obsidionem Verdugo cogeretur. Divisa agmina in praesidia distribuit. Sed Stenovicum, a qua urbe obsidenda nuper discedere compulsus fuerat, cum data opportunitate occupare cogitaret, certior nunc factus, praefectos et magnam militum partem urbe ad excursiones exiisse, a Baptista Taxio, praefecto suo, invadendum curavit. Qui, quo erat insigni praeditus ingenii acumine, conducti rustici ope pate-

facto per vada itinere, urbi nocte supervenit, et captum direptumque munimentis vallavit. At Guilielmus, suspectos praesidiarios habens, ad se vocavit, tenuitque custodia; cum vero mox appareret, neque perfidiae, neque socordiae in agendis excubiis rem esse tribuendam, liberavit eos. Exercitus foederatorum mox in hiberna deducebatur. (1)

Haec dum in Frisia finitimisque regionibus gerebantur, gravissimam rerum conversionem Belgica subiit. Namque proscriptus a Rege Hispaniae Arausionensis, auctor fuit foederatis Ordinibus, ut illi imperium Belgicae publice abrogaretur. Probata re, in Hispaniamque delata, ira aestuans Philippus concitavit complures in Principis necem proposuitque praemia interfecturo; saepius ille in vitae discrimen vocatus est, sed felici fortuna insidias hostiles evasit. Matthias Austriacus autem, cum eam, quam speraverat, nominis famam atque auctoritatem consequi non posset, abdicavit munere dimissusque cum gratia est. Cui quum successor requireretur, post multas deliberationes, principatus Francisco Valesio, Henrici III Galliae Regis fratri, qui Elisabethae nuptias ambiebat, oblatus est; sed

(1) Fresinga, p. 387. Emmius, p. 36. Reyd, l. III. p. 37. Van Meteren, l. XI. p. 41 seqq. Bor, l. XVII. p. 32. Hooft, l. XIX. p. 820. Grotius, l. IV. p. 75. Wagenaar, l. XXVIII. p. 465.

adeo arctis legibus potestas ejus circumscripta, ut majorem sibi auctoritatem armorum vi ac perfidia parare niteretur. Mutata quoque in singulis provinciis gubernatio. In Gelria quidem Bergensi Comiti, proditionis speciem ostendenti, suffectus Comes Mursae Nienarius, qui perturbatam provinciam multo labore in ordinem cogere studuit. (1)

Inierat annus 1583, atque belli molestias effugere utraeque partes videbantur. Mense Januario Taxiani milites praedabundi Frisiae agros invaserunt, terroremque injecerunt animis; mox in Stenovicense praesidium se receperunt. Aestate placide transactâ, cum essent Zutphaniae discordiae inter oppidanos militesque exortae, profecit inde Taxius; qui adjutus gregarii captivi operâ, per insidias cepit urbem d. 23 Septembris, Regiisque partibus adjunxit. Plurimum detrimenti ex ejus civitatis jactura foederati ceperunt: nam perfacilis inde hosti ad Gelriam, quae in Velavia est, aditus patebat. (2)

Interea Bernardus Merodius, Arausionensis hucusque in Frisia vicarius, cum ob gravem aetatem et infirmam valetudinem minus sibi imperio aptus

(1) Bor, l. XV. p. 209 seqq. Hooft, l. XVI. p. 698 seqq. Grotius, l. III. p. 70 seqq.

(2) Emmius, p. 40. Reyd, l. I. p. 48. Van Meteren, l. I. p. 157. Bor, l. XVIII. p. 32. Hooft, l. XX. p. 872. Grotius, l. IV. p. 81. Wagenaar, l. I. p. 492.

videretur, neque bello interesse posset, per litteras Principem saepius jam rogaverat, ut ipsum tanto onere levaret. Nondum flagitantem senectutis otium exaudiverat Princeps; nunc demum concessit ei, habens quem Frisiae Ordinibus fidenter commendaret. Erat hic Guilielmus Ludovicus, annos 23 natus, quem triennio abhinc, quum in Arausionensis locum substituendus aliquis esset, Frisiae Ordines sibi dari voluerant. Ergo conscriptis Ostergoae, Westergoae, ac Septemsylvarum legatis, d. 24 Dec. consenserunt ad conferendam in eum vicariam potestatem. Quem ad finem ipsi a Principe in diplomate officiorum ratio exposita fuit; munere vero fungi proximi anni 1584 mense Martio coepit, atque Harlingae ab Ordinum delegatis, civili magistratu, ac civibus laeta acclamatione exceptus est. Hinc cum iisdem delegatis Franequeram se recepit, ac de conscribendo conventu egit. (1) Ad provinciae praesidium erant illo tempore septemdecim cohortes, partim ducentos, partim centum et quinquaginta, partim quoque centenarium militum numerum complexae, una equitum centuria Batavica, altera Gallica exspectabatur. Harlingae quoque duae habebantur centuriae, Hollandiae stipendia merentes, quarum alterutrâ tan-

(1) Winsemius, l. XVIII. p. 737 et 738. Emmius, p. 41. Reyd, l. IV. p. 61, 63. Bor, l. l. p. 34. Hooft, l. l. p. 876. Wagenaar, l. l. p. 495. Schotanus, Chron. Frisiae, p. 924.

tum uti Guilielmus poterat. Contra Verdugoni tres legiones Hispanicae ac quatuor equitum centuriae parebant, maximam partem in castris degentes; nam Groninga praesidio vacua, Stenovicum et Oldensalia paucis praesidiariis continebantur, pulsis quippe suspectis quibusque oppidanis. Id quod fieri in Frisia ideo minus poterat, quod et contra vim hostilem et motus civiles tuendae civitates erant. In Frisia fertilissimis Ostergoae, Westergoae ac Septemsylvarum regionibus tributa Verdugo imperabat: Frisii accolis Groninganis nulla. Ergo ut hosti demeretur exigendi tributi facultas, Stenovicensi praesidio castellum objici placuit. Quam ob rem Guilielmus, paratis necessariis, cum militum manu eo missus, ut vel ipsi oppido per insidias superveniret, vel si male id cessurum videretur, castello muniendo operam daret. Sed hosti adventus et propositum innotuit; ipse tamen accessit, vidensque castelli praesidio occludi Frisiae aditum non posse, infecta re reditum paravit. Quo in itinere dira eum tempestas excepit: tonitru fremebat aër, et fulminis tanta vis erat, ut oblique viam secans equos perterritos humi prosterneret. Saepius tale quid ei in Frisia accidit; aliquando in Leovardiae vallo equitanti pruinosus arboris ramus, oneris vi fractus, in equi dorsum magno impetu decidit; cujus paulo maturior casus Guilielmo vitam ademisset. Iterum equo

Leovardiae plateam percurrenti glacie lubricam, lapsus equus suppositi cruris jacturam minabatur; nec tollere eum statim humo poterat, quia ephippio pedis equini ferrum impediebatur. (1)

Interim hostium populationibus Frisia obnoxia erat. Ut malo resisteretur, cum non sufficeret domesticus miles, quingenti armati arcessebantur, atque exeunte autumno mittebatur, qui in Germania quatuor centurias conscriberet; intra sex dierum hebdomades copiae illae jam praesto erant. Litteris porro Guilielmus Verdugonem commonuit, caveret, ne in posterum milites, noctu grassantes per agros, rusticos e lectis submoventes, et currus navesque cum peregrinis spoliantes, meritas poenas luerent. Curavit quoque, ut melius ubivis loca hostibus pervia munirentur et custodirentur.

Itaque cum maxima ejus cura in provinciae salute versaretur, ac nihil non faceret, quo animos civium sibi conciliaret, ingentem hoc anno ex tristi patrui sui morte dolorem cepit. Cui quum saepius perfidi Hispani instigante Philippo frustra essent insidiati, tandem Delftae commoranti sceleratissimus Balthasar Gerardi vitam ademit. Communis quidem omnibus popularibus et gravissimus luctus erat, commune omnibus optimi Principis

(1) Reyd, l. l. p. 64.

desiderium, sed Guilielmo acerbior calamitas, quod eo esset orbatus, cujus ut egregia disciplina adolescentulus fruitus fuerat, ita nunc consilia et monita plurimum faciebat: debebat ei adeo dignitatis et honorum primordia. Accidit ea calamitas die 10 Quintilis, atque ad justa funeri persolvenda, iter in Hollandiam fecit Guilielmus. Exsequiis autem maxima hominum frequentia ex omni ordine ac loco interfuit. (1)

Intelligimus sponte, quantum haec inopinata clades rempublicam perculerit, optimo quippe duce et veluti parente orbatam. (2) Attamen non diu consilii inopes Ordines foederati et principes in civitate viri erant. Nam ex recenti gravissimoque dolore cum paullulum animos collegissent, Hollandiae et Zelandiae praeesse Mauritium, decimum septimum aetatis annum agentem, jusserunt. Frisiae regundae munus Provinciae Ordines d. 16 Oct. Guilielmo Ludovico *in honorem illustris familiae, et quo externis nobilitatibus commendatior Res-*

(1) Reyd, l. l. Van Meteren, l. XII. p. 174 seqq. Bor, l. l. p. 51. Hooft, l. l. p. 892. Wagenaar, l. l. p. 529 seqq. Grotius, l. l. p. 85.

(2) Bentivoglio, *della Guerra di Fiandra* II. l. III. p. 277. *Non fu pianta mai perdita alcuna, ò di padre, ò di benefattore, ò di Principe, come piansero questa, che fecero dell' Oranges i popoli delle Provincie Confederate.* Cff. Hooft, l. l. p 898. Styl, p. 190.

publica esset, (1) offerre haud dubitarunt. Confidebant simul, quem hucusque eximie aliena vice fungi viderant, eum porro saluti regionis haud defuturum. Confirmatus est in Gubernatione ab Ordinibus Generalibus, qui rogatu Frisiae Ordinum diplomate illum d. 10 Nov. donarunt. (2)

(1) Grotius, l. l. p. 86.

(2) Reyd, l. l. Emmius, p. 44. Van Meteren, l. l. p. 190. Bor, l. XIX. p. 40. Winsemius, l. XVIII. p. 752. Kluit, Hist. der Nederl. Staatsregeling. P. III. p. 87, 120. Wagenaar, l. XXIX. p. 108. Ipsum diploma in Additamentis exponemus.



§. 2.

RES GESTAE GUILIELMI LUDOVICI, POSTQUAM FRISIAE GUBERNATIONEM OBTINUIT.

AB A°. 1585—1594.

Henrico III et Elisabethae frustra Imperium ab Ordinibus offertur. Guilielmus provinciae curis oppressus. Scribit ad Comites Edsardum et Joannem. Defectio Comitum Bergensium ad Regias partes. Franequerae Academia conditur. Expugnandae Groningae consilium male cedit. Guilielmus Hagam Comitis, inde in Zelandiam proficiscitur. Redit in Frisiam Rerum ibi status. Verdugonis studia. Guilielmus ad Licestrium scribit. Edictum promulgat de excubiis agendis. Nobilium Frisiorum audax consilium. Mulieris fraus detecta. Baudemontii libellus. Guilielmus Licestrio dicto non audiens. Licestrio expeditionis socius. Dosoburgum captum a Batavis. Zutphania frustra oppugnata. Licestrius Frisiam cogitat. Aysmae studiis obsistit Guilielmus, sed frustra. Scribit ad Licestrium. Calumniis petitur. Bardesius in Frisia. Guilielmi vita in periculo versatur. Frustra Groningam tentat. Epistolarum fasciculum intercipit. Matrimonium init. Scribit ad Licestrium. Navalis Hispanorum expeditio. Guilielmus viduus. Ab occupanda Groninga abducitur. Ordines foederatos litteris adit. Mauritium cum copiis suis convenit. Soltcampum expugnatum. In morbum incidit Guilielmus. Hagam proficiscitur. Oratio ab eo habita. Verdugo iterum Guilielmi vitae insidiatur. Zutphania, Daventria aliaque oppida a foederatis occupantur. Stenovicum oppugnatum et deditum. Guilielmus ad Covordium vulneratus. Pugna ad Tolbertum. Groninga ad deditionem coacta. Guilielmus provinciae Groninganae Gubernator creatus.

Quam primum Batavorum res domesticae ordinatae erant, metuebatur, ne belli Hispanici vis, propter subitam Arausionensis necem, gravior fo-

ret, quam suis viribus foederati sustinere possent. Itaque Ordines foederati, cum reipublicae caput requireretur, foedus inire cum Henrico III, Franciae Rege, studuerunt. Missi legati m. Aprili, qui conditiones proponerent laxiores, quam quibus Franciscus Valesius harum regionum praefecturam acceperat. Excusavit se Galliae rex perhumaniter, caussam interponens, intestinis discordiis se distrahi, quominus foederatis morem gereret. Iccirco Elisabetham m. Quintili adierunt, quacum societate jungi ob religionis similitudinem longe praeferebant. Sed neque illa praebere supplicantibus aures videbatur, certe negavit oblatum imperii honorem. Auxilia tamen se missuram, et, qui rerum summam teneret, Licestrium pollicebatur. Erat is *egregius virtutum simulator, atque invisos infelicesque Dudlejae gentis spiritus haud ingrata comitate velabat.* (1)

Haec ita verbo monenda duxi, ne desiderarentur, quae celebriora hac aetate acciderunt, faciliusque deinceps Guilielmi Ludovici vitam persequeremur. Hunc autem, capessito Gubernationis in Frisia munere, graves molestiae exceperunt. Nam calendis Januariis, cum creari novi in urbibus ma-

(1) Grotius, l. V. p. 94. Reyd, l. V. p. 73. Van Meteren, l. l. p. 227 seqq. Bor, l. l. p. 53. Hooft, l. XXII. p. 61 seqq. Wagenaar, l. l. p. 55. Dinothus, de bello civ. Belg. l. V. p. 403.

gistratus deberent, essetque antea usu receptum, ut abeuntes munere duplicem nominum numerum, e quibus nova electio fieret, Gubernatori et judicibus provincialibus afferrent, placuit ei jus illud in delegatos conferre, quod a judiciali re sepositum arbitrabatur. Obnitebantur civitates, sic quidem factum iri dicentes, ut ab agrorum nobilibus regerentur ipsae. Multae inde natae controversiae, quae tandem ita cessarunt, ut decem civitates consentirent, penes Gubernatorem solum in posterum jus eligendi futurum, modo privilegiis id suis innoxium esse testaretur. Excipiebatur Leovardiae civitas, utpote ceteris summae curiae studiosior: ibi mutati magistratus hoc anno non fuerunt, ac proximo urbs ea et Franequera jure creandi magistratus proprio potitae sunt. Guilielmus autem die 12 Martii impetum fieri in Marnam jussit, ut Ordinibus Generalibus sua tributa penderentur. Incendio delebantur ibi aedes, quum Regii milites, passim in castellis collocati, comparata manu, in Frisios irruerent, atque ad naves cum paucis captivis redire cogerent. Ibi Guilielmus militem, qui, omnia sibi in hostili solo licere credens, mulierem violaverat, ut meliora docerentur sui, suspendi jussit. Nuncius ei deinde afferebatur, Verdugonem cum Comite Edsardo, in regione Transamasiana imperante, clam agere, ut cum bona ejus venia castellum e regione Otterdumi

ad Cnoccam aedificare sibi liceret, vel ut ipse Comes muniret locum imponeretque ei praesidium, quasi tegere fines suos ab Otterdumensium impetu vellet. Guilielmus, ubi veram caussam rescivit, continuo litteris Equestrem Ordinem et Civitates viciniae et amicitiae memores esse ac reputare jussit, quam benigne Batavos exsules, tyrannidis Hispanicae tempore, excepissent. Haec voluntatis indicia ne, faventes mercenariis Hispanis, ac veteres socios prodentes, macularent; ne provocarent bellum, quod, cum semel exarsisset, incruentos iis eventus non praebiturum esset. Quamobrem viderent, ne ab ipsis istis mercenariis pejora aliquando experirentur, qui haud dubie et ipsorum et Batavorum insidiarentur saluti. Scirent non adeo infirmas Batavorum vires esse, quin eos, qui secum confligere cuperent, et cum Hispanis conspirarent, fortiter aggredi ac funditus profligare possent. Hujus epistolae exempla Comitibus Edsardo et Joanni misit, ne in inscios eos concitare civium animos videretur; eos precatus quoque est, ut intactam servarent viciniae fidem, neque imprudentius nonnullorum malivolentiae gratificarentur. Obtinuit quod voluit; omnia in concordiam redierunt. (1)

(1) Reyd, l. IV. p. 64. Bor, l. XXI. p. 11. Hooft, l. XXIII. p. 101. seqq. Wagenaar, l. l. p. 68.

Circa hoc tempus ad Regias partes turpiter desciverunt tres fratres Bergenses, Hermannus, Fredericus, Oswaldus. Quae calamitas ut exemplo foederatae Reipublicae nocebat, ita reapse Guilielmi animum sauciavit: neque enim solum cum iis affinitate conjunctus erat, sed habuerat eos per multos annos studiorum socios ac pueritiae sodales. Augebatur malum, quod ab iis ipsis defectionis nuncium accepit: graves esse causas, aiebant, quapropter a partibus foederatorum abalienarentur, et exoptare, ut in eandem sententiam secum abiret; nam fieri non posse, quin extrema mala brevi foederatis imminerent. Quibus verbis indignatione summa acceptis, mirari se respondit, postquam tam inauditas fraudes Batavi ab Hispanis subiissent, inveniri in gente Batava, qui scelerum istorum immemores, se libidini tam improbae gentis traderent. Sibi vero persuasissimum esse, nullius fortunae gratia justam caussam ac religionem deserere; quemcunque Deus finem esset daturus, aequo animo se praestolaturum, neque futurum unquam, ut turpissimâ defectionis notâ generis sui splendorem obscuraret. Exprobrationis acerbitatem Bérgenses aegerrime ferentes, stomachose rescripserunt, ac perstrinxerunt eum, quod illustris familiae *maculas* temere se appellasset. Ille vero querelas istorum non amplius moratus, ad provin-

ciae commoda animum revocavit. (1) Et siquidem haud procul Stenovico in Frisiae aditu hostes duo munita loca Slichenburgum et Oldemarcam tenebant, quorum praesidia ad tributa sylvestres plagas adigebant, profectus est ad priorem locum die 9 Maji cum quatuor tormentis; reliqua necessaria navibus imponenda curavit. Septingentis armatis, quos ducebat, addidit Sonojus quinque centurias, ex Hollandia Septentrionali conflatas; atque auctor fuit, ut castella extra telorum jactum excitarentur, et urgerentur fame cives; Guilielmus festinantius rem agi malebat, satius esse dicens, suspicere hostem, quam e longinquo animadvertere. Quapropter cuniculos esse faciendos, ad valla tormentorum vi perrumpenda. Neve extrinsecus auxilia adessent hosti, facilius caveri posse, si conferta militum vis in castris esset, quam si latius diffusa: quae enim ferrei annuli, eandem copiarum militarium rationem esse: quo latius extenduntur, eo extenuantur magis et debilitantur. Praesidium loci tenebat centurio cum parva manu, sed acriter restiterunt adorientibus. Proximo mane duo obsidentium tormenta vicinum clivum occupabant, unde majore damno affici posse locus videbatur. Primus, qui emittebatur globus, centurionis in aedes

(1) Reyd, l. l. p. 66.

penetrabat, et juxta lectum, e quo nondum surrexerat, cadens, tanto illum terrore percellebat, cum undique parietes corruerent et vitae imminerent; ut eo ipso die de deditione conveniretur. Inde continuo Guilielmus Oldemarcam festinavit, ac poni duo tormenta idoneis locis jussit; quibus vix visis, neque adeo auditis, tradebant locum praesidiarii. Aequabatur solo templum quoddam, ne rursus in illud hostis se conjiceret. Ad duas illas expeditiones tormenta Guilielmus a civitatibus Leovardiae et Harlingae accepit, ubi ex disjectis regiis castellis supererant; sed tradere illa magistratus urbani noluerunt, quare nobiles quidam rem susceperunt, haud vano metu, ne res vulgaretur, Guilielmum afficientes. (1)

Sed in mediis illis belli motibus via ad pacis artes colendas parabatur. Namque auctore imprimis Guilielmo Franequerae sub hoc tempus condi Academia coepit; cujus praeclari instituti quae vis et ubertas fuerit ad excolenda ingenia et provehendam humanitatem, sponte intelligi potest: qua vero ratione Academia illa ordinata sit, aptiore deinceps loco paullo accuratius exponemus. (2)

---

(1) Reyd, l. l. Van Meteren, l. XIII. p. 304. Bor, l. l. p. 53. Hooft, l. l. Wagenaar, l. l. p. 73.

(2) Reyd, l. l. p. 65. Van Meteren, l. X. p. 214. Bor, l. l. p. 91. Hooft, l. XXIII. p. 133. Wagenaar, l. l. p. 69.

Occupatis autem, quae supra memoravimus, locis, Guilielmus adeundae Groningae mense Junio consilia cepit. Ea enim urbs tanquam arx belli, plurimum vicinam accolarum regionem et Frisiam quoque infestabat: eâ captâ spes erat fore, ut belli calamitatibus hae provinciae liberarentur. Opportunitatem autem sagax Roelof Keteli consilium praebuit, qui civitatis Groninganae exsul, restitui eam foederatis apprime cupiebat. Is dolo urbem expugnari posse censebat, si emitteret Guilielmus militum fidelissimorum manum, qui, porta quadam male custodita potiti, aliis parvo viae spatio subsequentibus aditum in urbem aperirent. Rem Guilielmus cum Ketelo aliisque duobus per dies aliquot deliberavit, sed rejecit, quod temeraria nimis et anceps videbatur. Instat consilii auctor, difficultates scite tollit: sibi locum, sibi custodiae imbecillitatem nota esse, se rem ausurum, modo itineris socios adipiscatur, jactans. Vincit verborum impetus, proficiscitur. Comitantur eum Onno ab Euwsum, manu fortis et maximo odio, utpote accola, in Groninganos fervens, indutus mercatoris habitu, mutatoque faciei colore, tum Kreynius, qui aurigae se assimilat, aliique ad quindecim aliâ specie insignes. Hos omnes, quid proprie rei esset, latebat; significabatur tantum, expeditionem spoliandi divitis cuiusdam mercatoris causa, quem

ambulare quotidie sub moenibus civitatis solere noverant, susceptum iri, ostensâ quoque ingentis praedae ab eo faciendae distributione. Dum in viam illi se dabant, Guilielmus quoque cum mille quingentis militibus Drenthiam petebat, ut inde, si fieri commode posset, juxta Norichum, ultimam Groningani praesidii stationem, urbem invaderet. Obortis tenebris militum manum in insidiis prope stationem hostilem collocat, vetatque prius inde discedere, quam postridie matutina hora nona, vel decima exacta sit; tum cito erumpant, et abigant boves, ut Groningani, accepto cum rapinae tum hostilis adventus nuncio, (nam meridie ipse Guilielmus cum reliquis cohortibus affuturus ad urbem erat) nil aliud esse putent, nisi eiusdem rapinae iteratas querelas. At forte rusticus, dum agrum transit, insidias suspicatus, rem nunciat Nienortanis, qui centurionem continuo mittunt ad profligandam insidiatorum manum: is vero inscius reliquis cohortibus obvius factus, in praesidium se Norichense, ut se suosque ab occidione liberet, conjicit. Ibi statim Guilielmus, ne ulterius insidiarum rumor percrebresceret, stationem circumdari milite jubet. Rebus ita bene curatis, factum est decurionis stultitiâ, qui jussus a Gubernatore abducere aliquot milites sub vallo procursantes, omnem obsidentium vim loco abstulerat, ut irritum redderetur

consilium. Nam cum tuto praesidium exeundi potestas data esset, equo conscenso Groningam centurio rem nunciavit. Hanc ob caussam loco Guilielmus non movit, ne vana tentans fatigaret copias; sub vesperam excedebant Groningâ duo milites, a Ketelo cum litteris ad Gubernatorem missi, ut consilia edoctos Groninganos esse inde comperiret. Callide nuncii illi, quos iter per hostilem locum ferebat, Hispanicos se emissarios simulantes, loci praefectum deceperunt; sed cum monentem, proxime abesse cum copiis Guilielmum, dubiamque profectionis fortunam ostendentem, parum curare viderentur, atque excederent statione; doli quid subesse ratus, persequi eos et prehensos deduci cum litteris Groningam jussit. Quod ubi resciverunt, qui duce Ketelo urbem tentarent, aufugerunt periculum, et abstrahere illum a coepto studuerunt; sed ille ceteris audacior, comitatus eos aliquantum viae, recepit se Groningam, ubi pristinos amicos vitae suae satis prospecturos esse confidebat. Neque tamen cuiquam sui suspicionem futuram existimabat, quoniam interceptae litterae et scriptoris nomine carebant et ipsis militibus ab aliis erant datae. Frustra ergo illi suppliciis ad detegenda consilia adacti, quibus aliud nihil innotescebat, nisi mercatoris cujusdam locupletis spoliandi causâ susceptam expeditionem fuisse. Idem coram magistratu et stomachante Verdugone

profitebantur. Tum urbis Consul Joachimus Ubbena Ketelum comprehendi, et ad se duci jussit; quem remotis arbitris percunctatus diu, ac suspectum civibus nonnullis esse dicens, cum ingenue se crimine absolventem videret, dimisit. Quare is temere ab omni parte se tutum credens, quum curâ solutus cubitum iisset, noctu e lecto sublatus, suppliciisque ad consilii confessionem adactus, necatus et dilaniatus est. Militibus vitam a Verdugone cives deprecabantur, quamobrem verberibus mulctati, graviori poenâ liberati sunt.

Tristem rei exitum doluit Guilielmus, ac sive miseraretur eorum sortem, quicunque in ejusmodi consilio vitam profundebant, seu metus eum subiret, ne saepius eadem fortuna uteretur, aliis postea strategematibus intentus fuit, his vero abstinuit. (1) Sub finem m. Septembris a muneris sui curis Hagam Comitis avocabatur; illic enim praesentiâ ejus Arausionensis heredes opus habebant, ad res domesticas rite ordinandas. Inde cum abitum in provinciam, in cujus salute totus versabatur, meditaretur, factum ut foederati Ordines legarent eum cum Mauritio et Brederodio in Zelandiam, Comitis Licestrii, qui mense Decembri Flissingae exspectabatur, adventum gratulaturum.

(1) Reyd, l. l. p. 67. Hooft, l. XXII. p. 104. Wagenaar, l. l. p. 76.

Interim saeva hiems glacie flumina constrinxerat; Guilielmus, officio functus, ne se absente mali quid accidisset in provincia veritus, proficisci statuebat, antehabita omnibus itineris hiberni molestiis suorum salute. Itaque periculosum Flevi lacus trajectum cognoscens, cum passim glacies satis invaluisset, passim infirma vel nulla haberetur, nihil a proposito deterritus est. Cum paucis comitantibus scaphulâ Enchusae conductâ, qua validior glacies erat, trahae loco, qua fragilior ferendisque oneribus impar, navigii loco usus est. Haud sine gravi labore vitaeque periculo Stavriam tandem salvus deferebatur. Quae metuerat absens mala, praesens experiebatur. Nam Baptista Taxius, Verdugonis vicarius, et duo Bergenses fratres, ubi innotuerat Groninganis, abesse a provincia Guilielmum, ab his impulsi susceperant expeditionem, pridieque adventus ejus, mense Januario anni 1586 exeunte, Coudumi, Worcomii, adeoque prope Stavriam grassati, nunc in interiorem provinciam contenderant. Itaque appellenti Gubernatori infestus erat ad Leovardiam aditus, et quod paucissimos secum habebat, adire exercitum, militumque obfirmare animos non poterat. Vices ejus Danus quidam nobilis, Steno Maltesius, obibat, qui ut majores calamitates prohiberet, Boxumum haud procul Leovardia movere castra coepit. Jamque Taxius cum praeda

magna et captivis ob ingratam temperiem excedere Frisiâ parabat, cum accepto hostium motu, mutato consilio, insistere eorum tergis statueret. Subitâ re perterriti Frisii confusis ordinibus Boxumum maxima festinatione tendebant. Quo delati, difficili primum pugna exceperunt Taxianos, perruperunt aciem, ac majora fortitudinis specimina edidissent, nisi auxiliis crevissent hostiles copiae. Tum vero mutata belli fortuna, magna clade Frisii afflicti, sexcenti partim caesi, partim capti. Multi utrinque nobiles fortesque viri vitam amiserunt. (1)

Interim Guilielmus die 26 Januarii redux Leovardiam fuit, nec sine gravi moerore stragem suorum cognovit. Exposcenti autem captivos respondit Verdugo, id solatio ei esse debere, quod haud incruenta suis victoria fuisset. Ubi discesserant Taxiani, immanitatis ac barbariei ubivis apparebant vestigia, nominisque Hispanici communis omnibus terror gravissimus fiebat. Sed, quod in rebus trepidis saepe accidere solet, ut ad perversa et noxia consilia confugiant homines, idem tum Frisiis evenit: fuerunt enim haud pauci, qui conciliare se cum Regiis et Verdugone mallent, quam extrema pati et

(1) Emmius, p. 51 seqq. Reyd, l. l. p. 68. Van Meteren, l. XIII. p. 311. Bor, l. XXI. p. 10. Hooft, l. XXIII. p. 133. seqq. Wagenaar, l. l. p. 112. Strada, de bello Belg. Decas II. l. VII. p. 461.

fortitudine meliorem rerum conditionem quaerere. Quorum studiis callide Verdugo obsecundabat; se invito expeditionem susceptam simulans, misereri se tristem illorum sortem, abominari Taxianorum atrocitatem, et cauturum in posterum, ne istiusmodi denuo calamitates acciderent. Danum quoque Stenonem Maltesium, quem captivum tenebat, quum expeti eum a Daniae Rege audiret, sine redemtionis pretio dimisit, efficere per eum studens, ut Guilielmus ad inducias pelliceretur. At vero hic astutiam hominis perspectam habens, veritus ne Frisii, capti semel quietis illecebris, ad bellum tardius deinceps procederent, noluit morem ei gerere. Contra in salutem provinciae omnes curas intendit; Licestrium mense Februario per litteras de rerum statu certiorem facit; repetit belli caussam a Groningae defectione; ab eo tempore plurimis calamitatibus Frisiam adsitasque regiones laborasse, neque malorum laborumque finem ante exspectari posse ullum, quam recuperata civitas, et expulsi regione Hispani forent. Quamvis ergo longe praestare existimaret, Groningam statim valido exercitu circumvenire, tamen poscere tot copias auxiliares, quot ad obsidendam civitatem sufficerent, se non audere: credibile enim esse aliis expeditionibus universas adhibitum iri; attamen idem consilium leviore operâ effici posse, si clauderentur Amasi et Visurgis

ostia. Sic quidem fore, ut nusquam invenirent hostes, unde commeatum quaererent, et terras, quas tenebant, fame pressi quantocyus deserere cogerentur. Seu tandem nimis acre ei consilium istud videretur, subsidia idonea mitteret ad occupanda illa loca, unde maximo detrimento hostes affici possent. (1)

Licestrius, ubi litteras accepit, de re continuo cum Guilielmo Bardesio deliberavit: plurimum hic foederatis studebat, et nunc quidem valde cupiebat, ut quae suasisset Gubernator, efficerentur. Sed sive alia Licestrio placerent, sive copias haud satis commode in subsidia mittere posset, neglexit Guilielmi monita. Itaque spe deceptus, quam optime poterat, res domi ordinavit; quae temporis lapsu obsoleverant, et tamen restituta in pristinum statum conferre ad publicam salutem videbantur, ea sedulo instauravit, quae studiis hominum perversa ac corrupta erant, emendavit, et in communem usum accommodavit. Sic quo efficacius hostes a finibus provinciae arcerentur, die 21 Maji edictum promulgari jussit per omnes Frisiae agros, accuratissime in eo de necessitate excubias nocturnas diurnasque agendi exponens, atque severe in omnes, quicunque prae-

(1) Reyd, l. l. p. 69. Bor, l. l. p. 15. Hooft, l. XXIV. p. 149. Wagenaar, l. l. p. 123.

scriptas leges violarent, animadverti debere jubens. Veruntamen imprudentius egisse videtur, praecipiendo magistratibus, ut diligenter, quicunque suspectae fidei essent, observarent, atque aliquamdiu a civium societate remotos in urbibus quietis vel in agris tenerent, spe factâ, si moderate se haberent, annui bonorum reditûs. Tantum autem aberat, ut hoc mandatum domesticae tranquillitati faveret, ut turbas excitaret, quae aegre deinceps componerentur. Nam quae hominum ratio fere est, dubiae fidei nemo nisi perinvitus accusabatur, neque inveniebatur quisquam adeo Hispanis studens, quin haberet in Protestantibus, qui pro se verba faceret, et cautionem praestaret; quippe negare eam alienum a mansuetudine foederati imperii videbatur, multo vero magis ab ea abhorrere, si forte is, cui cautum esset, perfidum se gereret, illum, qui nil mali suspicatus cautionem praestitisset, poena mulctari. Consequens quoque videbatur, ut quemcunque patriam prodere haud puderet, fidem is amicis violaret, quicunque sua pericula negligeret, alienis non magnopere timeret. Quod ergo Guilielmi acumen fugerat, non accidere non poterat, ut exasperarentur hominum animi, tum vero etiam, si qui animo hostilia conceperant, ut in iis confirmarentur. Hanc ob rem nunquam postea in eam sententiam, quoties ferebatur ab aliis,

Guilielmus ivit. Misit etiam in omnes civitates, qui cum magistratu urbano in singularum aedium esculenta inquirerent, et hanc cuivis legem praescriberent, ut certam quandam copiam domi perpetuo paratam haberet. (1) Auxilia ab Ordinibus foederatis postulavit, eaque arcessere Norisius jussus. Ad haec tertius quisque e rusticis, ut validiores copiae essent, militiae dare nomen cogebatur: conflatus inde trium fere millium armatorum exercitus. Nobilium quoque nonnullorum sermonibus audax agebatur consilium, cui si Frisii indulsissent, miserrimam regio conditionem subiisset. Namque auctores illi erant, ut perrumperentur aggeres inter Cuneram et Lemmariam, interque Doccomium et Coudumum, solutaeque vinculis aquae intermedios agros humiliores minusque foecundos inundarent, aggeris praesidio servatis, quaecunque septentriones et occasum versus tendebant. Hac quidem ratione Frisiâ in insulae formam redactâ, urbes omnes, exceptâ Slotâ, immunes ab hostili impetu una cum Westergoa tota et Ostergoae feracissima parte, sed sylvestres regiones et paludes submersae fuissent. Immanius autem Guilielmo videbatur, hos tractus a reliqua Frisia divellere:

(1) Emmius, p. 53. Reyd, l. l. p. 70. Bor, l. l. p. 22. Hooft, l. l. p. 160. seqq. Kluit, op. cit. P. II. p. 137.

quare persuasit Nobilibus, nondum extrema instare, neque opus adhuc esse, ut salus publica tali pretio redimeretur.

Haec quidem Guilielmus, ut omni modo provinciae suae commodis prospiceret, partim diligenter conatus est, partim haud sine fructu effecit. Postquam autem Boxumana clades Frisiorum animos metu perculerat, mulier quaedam corrumpere Lemmariae praefectum militarem praemiis studuit, ad locum illum praesidiariis Stenovicensibus prodendum. Continuo is rem cum centurione, Slotae praeposito, communicavit, ut referret per litteras Gubernatori. Hujus ille jussu Lemmariae praefecto mandavit, ut a corruptione non alienum se simularet, et exploraret reliquos facinoris participes. Centurio vero, legendi scribendique artis rudis, cum scribendas ad Guilielmum litteras, tum recitandas sibi, quas ab eo receperat, per uxorem curaverat; quae, utpote mulier, silentio impar, foras argumentum extulit, effecitque ut ignotis ceteris proditionis auctoribus, in solam mulierem corruptricem animadverteretur. Interim Verdugo Baudemontii cujusdam, qui a foederatorum partibus ad regias transierat, operâ usus est ad Batavorum odium in Ordines et domum Nassaviam excitandum; qui cum ingenio imprimis valeret, conficere libellum acerbissimi argumenti jubebatur, in quo elaborando hoc maxime

teneret, ut oratione contumeliosâ exagitaret Ordinum consilia, nec parceret verbis in exsecrando Nassaviorum nomine. Hujus libelli cum aliquot centena exempla navigium Emdense Ostmahornam advexisset, detecta fraude, omnia ad Gubernatorem delata sunt; qui sedulo curavit, ne ad publicam notitiam pervenirent. Mox egregium idem mansuetudinis atque humanitatis specimen edidit, cum Licestrius edicto pronunciaret, incendio delenda Batavorum loca esse, quotquot hostium civitatibus vicina haberentur. Nam sedibus suis tot familias pellere, et bonis omnibus privare, impia res Guilielmo videbatur, quare mandato satisfacere recusavit, ut tantae calamitati cives et vero ipsas regiones eriperet. Mense Septembri Licestrius, expeditionem suscepturus, cum alios bene multos nobiles, tum Guilielmum quoque, socios arcessivit; ducebat autem exercitum octo millium peditum, mille quingentorum equitum, primumque Dosoburgum, quam urbem Regii tenebant, invasit et expugnavit. Inde castra Zutphaniam mota; aberat forte negotiis districtus Licestrius, cum quarto a castris milliari Borkeloae hostis considere nunciaretur. Ibi Guilielmus et Hohenlojus, verentes ne aggrederetur per tenebras exercitum, tumultuario opere muniri castra jubent. Miratus rem Licestrius redux, parum sibi honorificam nimiam eorum diligentiam ostendit,

sed meliora a Guilielmo edoctus, monente, in simili periculo Carolum V ad Ingolstadum, et Albanum ad Mosae Trajectum versatos, continuo vallis sepsisse castra, iram deposuit. Diuturna Zutphaniae obsidio hiemis adventu soluta: profectus in Angliam Licestrius, copiae in hiberna dimissae. (1)

Licestrius proximo anno in Batavicas terras redux magna moliri videbatur. Potitus Trajecto ad Rhenum aliisque civitatibus, oculos convertit in Frisiam. Consilii insciis Ordinum Senatu, Frisiae Ordinibus, ipso inscio Guilielmo, misit Harlingam duas Anglorum centurias, qui duce Nortio eam insiderent. Re cognita Ordines provinciae palam denunciarunt, obstare magnopere provinciae commodis, veterique mori adversari, ut discerperetur ita provinciae gubernatio. Abscessit ergo a proposito Anglus. Harlingam autem jam pridem praesidium, Hollandiae Ordinum stipendiis merens, tenuerat, neque adhuc aegre id Harlingani tulerant, quod stato tempore accurate sibi pecunia solveretur. Sed superbiâ moti urgere nunc militum abitum coeperunt. Eodem forte tempore Guilielmo afferebantur Bardesii, Senatûs concilio adscripti, litterae, quibus docebatur hostilem Hispanorum in Harlinganos mentem; occurri malo

(1) Reyd, l. l. p. 79. seqq. Bor, l. XXI. p. 51. Hooft, l. l. p. 152. seqq.. Grotius, l. V. p. 98. Wagenaar, l. l p. 124. seqq.

posse ajebat, si mutaretur praesidium, quod sensim cum civibus arctiorem consuetudinem, imo vero necessitudinem contraxisset. Hac occasione usi Frisii impetrarunt a Gubernatore, ut discedentibus Hollandis, e sua gente praesidium succederet. Quod ut facilius fieret, admonuere cohortium praefectos veteris Reipublicae disciplinae, qua obtemperare Gubernatori, ut supremo militiae praefecto, oportebat. Frisiae quoque Ordines duorum mensium stipendia iis numerabant, menstrua deinceps numeraturi. Erat in praefectis illis, qui educatus quondam in Nassavia domo, dicto semper Guilielmo audiens esset, efficeretque ut sine motu praesidiorum permutatio perageretur. (1)

Haud deerant hoc tempore, qui ad rerum novarum studium Frisiacam plebem excitarent. In iis pollebat maxime Hesselus Aysma, haud improbus homo, sed cui parum ingenii et rerum civilium peritia nulla erat. Imbutus is pridem ea opinione fuit, optabile Foederatis esse, ut pristinus rerum ordo instauraretur, rerum summa rediret ad Regis alicujus arbitrium, atque in Frisia penes supremam curiam, cui ipse praesidebat, auotoritas maxima esset. In partes ejus cum multi alii procedebant, tum vero imprimis sacrorum antistites, quibus auc-

(1) Reyd, l. V. p. 89. Hooft, l. XXV. p. 223. seqq.

tor mox erat, ut instituerent conventus, et mitterent in Angliam, qui suis verbis Elisabethae gubernationem provinciae peculiarem offerrent. Restitit illorum studiis Guilielmus, suadens ut, quae a munere sacro abhorrerent, magistratuum curae committerent; his enim stomacho fore, quod suis se rebus alii immiscerent, ipsosque negligentiae accusare viderentur. Frustra eos monuit: legatio in Angliam brevi abibat. Ne tum quidem quiescens Aysma, metuens, ne parum legati apud Elisabetham efficerent, quod destituti auctoritate publica essent, denuo suos congregavit, initisque consiliis novam mittere legationem placuit. Cujus ne opera irrita foret, adierunt Gubernatorem, obtestati, probaret consilia et rata haberet. Sed, qua erat is prudentia singulari, neque probavit propositum, neque vituperavit; benivole tamen adhortatus est eos, ut cum ceteris provinciis communi prece Angliae reginam tentarent. Aspernati monita, in Angliam tendunt, triduo ab adventu admittuntur ad Elisabetham, et consilia exponunt. Haec brevi post gratias iis agit, quod singularem suam sibi voluntatem significaverint, dimittitque cum litteris. Quas illi mense Aprili domum reduces, in amplissimo Ordinum conventu recitare concupiscentes, non auditi sunt, quoniam sine legitima auctoritate profecti fuerant.

Guilielmus autem, ut, quoad ejus fieri posset,

effugeret eorum inimicitias, ac studere se patriae commodis, omnibus persuaderet, epistolam ad Licestrium dedit, commonefaciens eum, sperare Trajectinos, si paullum mitigarentur quaedam supplicis libelli capita, fore ut pelliceretur ad accipiendam gubernationem Angliae Regina: si quid autem de hujus voluntate ipsi forte innotuisset, haec secum communicaret; pollicitus quoque est, se omni ratione operam daturum, ut provinciae Ordines cum Regina conciliaret. Ad has litteras nihil a Licestrio responsi tulit. Sed legati offensae memores, auctore maxime Hesselo Aysma, crepabant ubivis, infestis animis Ordines in Anglos et Elisabetham esse, neque Guilielmi famae parcebant, quem Anglici nominis adversarium nuncupabant, antea quippe fassum, Hispanicas sibi aeque atque Anglicas partes arridere. Alia item memorabat Hesselus: Brilam et Flissingam vi illum occupare voluisse, pacis cum Hispanis faciendae, rejectis Angliae auxiliis, consilia serio agitasse, amicitiae cum Verdugone haud dubia indicia praebuisse. Acciderat aliquando, ut Frederico Bergensi, quocum in eadem domo Dillenburgensi educatus fuerat, sed qui patris exemplo ad Hispanos transierat, petenti concederet liberam per campos paludesque, quae ad ejus aedes Nienortae pertinerent, venationem; eidem vero, pictam suam imaginem, ut in veteris

familiaritatis memoriam aliis in cubiculo apponeret, petenti negaret. His similibusque speciosis argumentis usus Hesselus nocere Guilielmo studebat. Sed aequo is animo injurias ferre, misereri potius quam stomachari hominum pravitatem solitus. Ubi desaevierat seditiosus homo, novas alii turbas ciere, referre Bukkenhorstio, Elisabethae legato, misere provinciam intestinis discordiis dilacerari, Gubernatori Ordinibusque id praecipuae curae esse, ut persequantur, quoscunque Anglis studere comperiant; Gubernatorem adeo postulare a copiis, ut ejerent Licestrium, aliis jurisjurandi se fide obstringant; quin centuriones, id se facturos fortiter negantes, ex ejus arbitrio honoribus privari. Repetitum quoque litterarum Elisabethae in conventu non recitatarum crimen fuit. Has querelas vel supra rem auctas, vel mere commenticias esse Bukkenhorstius ratus, non adiit Frisiam, sed commonuit per epistolam Ordines, ut concordiae essent studiosi; quodsi ingravesceret malum, adventum suum exspectarent. Missus autem die 28 Maji Leovardiam Bardesius, rem exploraturus. Guilielmus primum ab eo interrogatus, candide negabat se sibi jurisjurandi conscium esse, ad quod milites adegisset: cetera quoque omnia falsa esse. Concordiam inter magistratus civesque optimam haberi, praesidia rite ordinata. Quod vero factiosorum

audirentur querelae, mirum non esse; neque enim inveniri imperium tam bene moratum, ut expers motuum et seditiosorum hominum esset. Audito illo, atque in eandem sententiam rem referentibus Ordinibus, ad turbulentos se convertit Bardesius. Hi iterare et in majus extollere, quae questi jam fuerant; universe, quali indole et studio essent, non obscure significare. Quare officio functus Bardesius, postquam omnes in mutuam gratiam redire jusserat, discessit e Frisia. (1)

Profligatis malivolorum calumniis, quum Guilielmus tutum sibi ab injuriis periculisque tempus fore existimaret, parum abfuit, quin eandem calamitatem, quae triennio abhinc patrueli acciderat subiret. Namque Verdugo, cum frangere eju vires aperto bello non posset, videretque nisi sublato uno illo succedere res suas non posse, scelestissimam necandi viam quaesivit: parum curans, an humanitatis officiis congruum consilium videretur modo placeret Parmensi, sibique ad gloriam aditum pararet. Suscepit rem mense Quintili Michaëlis Lauterbechius quidam, Germanus, foederatorum partibus antea addictus, sed cum Rennebergio ad Regios profugus, et Verdugoni hoc tempore pa-

(1) Reyd, l. VI. p. 102 seqq. Bor, l. XXII. p. 23. Hooft, l. XXV. p. 237 seqq. Wagenaar, l. XXX. p. 212.

rens. Is, quo melius perpetraret facinus, apud Nassavicam cohortem nomen professus, in castris versabatur; sed militibus forte suspectus, in carcerem detrusus, tres ibi dierum hebdomades transegit. Tum solutus ad reddendas consiliorum rationes, rem ut se habebat, confestim fassus est. Aedes prope urbis Leovardianae vallum conduxerat, e quibus peropportune praetereuntem Guilielmum telo transfigeret: indicabat quoque canalem, quo ad fossam suburbanam tutum se evasurum sperasset. Capite damnatus est et dilaniatus. Ubi vero extremum vitae tempus instabat, supplex oravit, ut crimini Gubernator ignosceret, et a reliquis duobus conjuratis, quorum alter ipsius frater, caveret. Hos ne frustra conquireret, faciem, corporis habitum ceteraque, quibus ab aliis distinguebantur, designavit. Famâ rei suppliciique vulgatâ, Verdugo Guilielmo perhumaniter se excusavit, tam atrox scelus sibi piaculo esse jactans, delirasse Lauterbechium, quum se auctorem significaret. Probitatem suam ne suspectam amplius haberet, sciret jam dudum ipsi Licestrium insidias struere, idque sibi per fidum hominem innotuisse. Hanc epistolam, quam a Jorkio mortalium nequissimo, qui Principum Nassaviorum in Anglos studia fovere studebat, exaratam conjecit, Licestrio Guilielmus tradendam curavit, sive eo consilio, ut exacueret

ejus adversus Hispanos odium, qui tam facinorosae famae suae obtrectarent, sive ut moneret eum, tolli omnem mutuam discordiam et inimicitiam oportere, quam ludibrio ipse hostis haberet, seu tandem ut privatae ejus in Jorkium irae serviret. Verdugoni autem respondit Guilielmus: nullam se innocentiae ejus fidem posse habere, raroque accidere, ut proditoris amentiae istiusmodi scelus sit tribuendum. Neque vero cur de Licestrii fide et probitate dubitet, caussam sibi esse, nedum ut tanti sceleris auctorem habeat. (1)

Guilielmi profecto curis vigiliisque debebatur, ut praesens annus sine belli populationumque damnis fere totus transigeretur. In Ordinum conventu libere sententiam enunciaverat, opus esse ut, quum domesticae Frisiorum copiae non sufficerent, plures conscriberentur: majora hanc ob caussam tributa imperarent, ut necessariis sumtibus subveniretur. Fuere quidem, qui reprehenderent, tantis oneribus cives premi, sed a plurimis tamen laudabatur consilium, qui duplex inde commodum sperabant, et tutiorem provinciae conditionem, et alienos a praestandis hosti tributis rusticorum animos. Quum du-

(1) Emmius, p. 52. Reyd, l. VII. p. 122. Bor, l. XXIII. p. 8. Hooft, l. XXVI. p. 259. Utramque epistolam, quam operae pretium est inspicere ad cognoscendam scribentium indolem, ad libelli calcem referemus.

dum Ordines stipendiarium equitatum habuissent, et rarior ejus usus in paludosa et aquarum plena regione esset, auctor erat, ut pedestres copiae equitum loco assumerentur. Cui consilio assensi Ordines, simul morem abrogarunt de tertio quoque viro per agros armando, demonstrante Guilielmo, plus commodi exspectari posse, si milites ea mercede conducerentur, qua rustici, agrestia opera belli incommodis praeferentes, alios in suum locum substituere solerent. Sic enim fore, ut et bellicosior exercitus esset, et melior disciplina haberetur. Hujus novi delectus ope tam bene omnes aditus in Frisiam muniti sunt, ut etiamsi hiemis asperitas hostium incursionibus faveret, tamen nihil majoris momenti ausi fuerint. Quocirca m. Septembri, tutâ jam satis ab hostili direptione terrâ, bellum Groningam movere statuit. Noctu emittit milites, qui excubiarum vim et intermedia loca speculentur. Hi satis magnum valli spatium praesidiario milite nudum inveniunt, ita ut ter quaterve transnatatâ sine viciniae rumore fossâ, facile ad munitionem obrepant. Rem referunt Guilielmo, cui ex toto agmine centum eligi placuit, natandi artis peritissimos. Mandat, ut telis omnique instrumentorum apparatu, quibus effringi urbanae portae solent, adhibitis, urbem invadant. Ad statum diem omnes viae, quae Groningam e Frisia tendunt, custodiuntur. Ipse cum

copiis Gubernator Neozylium se confert, ubi trajecturus eas flumen, operâ centurionis, qui, utpote a teneris tignarius, ponte flumen jungere posse putabatur, usus est. Sed parum ille prudenter in fabricando opere versatus: nam quum in majore maris aestu, qualis in noviluniis, pleniluniis, vel lunae quadraturis obtinere solet, incitatius torrens ferretur, accidit, ut tantae aquarum vehementiae impar frangeretur pons, clauderetque Nassavianis trajectum. Quare conatus ille irritus fiebat: Groningani enim certiores doli facti, inertiam suam damnantes, validâ custodiâ vallum defenderunt, adstructâ impugnatae portae munitione. (1)

Haud ita multo post factum, ut potiretur fasciculo quodam Guilielmus, in quo praeter publicam Licestrii ad foederatos Ordines disputationem (die sexto m. Septembris habita erat) ejusque ad Frisiae Ordines litteras, tres epistolas reperit, Ostergoae, Westergoae, et Septemsylvarum Ordinibus inscriptas, alias item ad octo civitates, unamque ad supremam curiam datas. Tres priores cum schedula in tabellarii usum adjecta in conventu recitavit, patuitque operâ scriptas esse Dominici Richaei a Postella, id agentis, ut coepti civiles mo-

(1) Emmius, p. 53. Reyd, l. l. p. 135. Bor, l. l. p. 20. Hooft, l. l. p. 271.

tus latius per provinciam propagarentur. Factiosorum nomina adscripta: praeter Hesselum Aysmam plerique urbium consules, et qui magistratibus a secretis erant, nominabantur; quo periculosior conspiratio Frisiae saluti Ordinibus videbatur. Erat quoque epistola, ab Elisabetha ad Ordines scripta, qua Licestrium iis magnopere commendabat, collaudatis eorum meritis, qui a fraudibus dolisque, quibus scelesta capita concitare ejus studia in illorum perniciem studuerant, prudenter eum avertissent. Tandem prodibant litterae, ab Aysmae fratre confectae, quibus et Ordines contumeliose accusabantur, et Licestrius prava et infesta meditari dicebatur. Haec omnia Guilielmus Delegatique Ordinum cum octo civitatibus communicarunt. Cavere autem Licestrium a Dominici Richaei aliorumque id generis assentatorum insidiis jusserunt, qui res novas moliebantur, ut in ipsos inde commoda redundarent. Deum testati sunt, nihil sibi curae cordique magis esse, quam verae religionis patriaeque caussam, et detestari pacem, quae cum pacis hostibus iniretur, profitentibus nullam se unquam nisi Catholicam religionem toleraturos. (1)

Interim Guilielmus ineundi matrimonii cum

(1) Bor, l. l. p. 29. Hooft, l. l. p. 280.

Anna, Arausionensis filia, consilia agitabat. Quamobrem mense Octobri, quum a belli negotiis vacaret, celebrare nuptias cupiens, praeter cognatos, provinciae Proceres militiaeque praefectos invitavit. Nolebat magnificentiae festorumque sumtibus hoc alieno a gaudiis tempore indulgere; sed ne humanitatis officiis deesse videretur, misit nobilem quendam ad Licestrium, qui solennium participem eum esse juberet, adderet tamen, haud moleste Gubernatorem laturum, si ingratum coelum, hiemale frigus, aut graviores occupationes tanquam itineris impedimenta causaretur. Legatus Anglo rem retulit: ex quo mox reduce Guilielmus de Licestrii adventu certior factus, miratus magnopere est. Sed quum vel invocatum Frisiam eum petiturum fuisse comperiret, ut convocato conventui de improviso interesset, suspicatus seditiosorum studia, litteris sibi commonere eum proposuit. (1)

In ejus sententiam sponte abiere Ordines, placuitque ad Licestrium his verbis die 17 Octobris scribere: » Quum innotuerit nobis, velle te, Il-
» lustrissime Princeps, coram hujus provinciae
» nostrae rationem explorare, quod jam dudum
» optaveramus, gratias tibi, qua par est reverentia,

---

(1) Bor, l l. p. 73. munera, ab Hollandiae Frisiaeque Ordinibus sponsae oblata, ceterosque honores refert.

» agimus pro tam insigni voluntatis tuae signifi-
» catione. Neque enim, si praesens res nostras
» cognosceres, amplius te posse latere sperabamus,
» quam vanae essent nonnullorum, sua unice com-
» moda spectantium, accusationes. Sed facti simul
» certiores, huc te venturum esse, ut extraordinario
» interesses conventui, a scelestis istis hominibus
» sine dubio indicto, committere non possumus,
» quin te modeste moneamus, nihil sibi istos aliud
» proponere, nisi ut, abusi tua dignitate, propriâ
» utpote auctoritate destituti, provinciae quietem
» perturbent. Noli ergo moleste ferre, quaesumus,
» si liberius fortasse, quam decet, fateamur, insti-
» tui ejusmodi conventum, nisi nostrâ quibus id
» publice licet auctoritate, non posse, neque impune
» nos passuros, ut nefariâ quorundam operâ cu-
» ris molestiisque Ordines implicentur, patriae sa-
» lus in pejus ruat ac subvertatur. Qui quidem
» scelesti homines, (nam alias interdicendi conven-
» tus caussas referre nolumus) per septem vel octo
» annos omni ratione usi sunt ad infringendam
» legitimam provinciae rationem; ipsi rerum sum-
» mam, neglectis antiquis juribus, consuetudini-
» bus privilegiisque, affectarunt infelici hucusque ex
» Divina voluntate eventu. Quin patientiam nos-
» tram, qua in summis eorum injuriis conniximus,
» deridentes eo proruperunt audaciae, ut ten-

» tatis frustra omnibus, tuam quoque fidem, proh » scelus! sollicitare audeant, et solennia decreta, » a foederatis provinciis facta, novis in Frisia pro» mulgandis, mutare et pervertere conentur: quo » sane nomine hostes istos reipublicae habendos esse » censemus. Itaque ut integros coram Deo homi» nibusque nosmet praestemus, scias, nulli nos le» gitimae rationi parcituros esse, ad cavenda sce» lestae istius societatis consilia, ut, juvante Deo, » quas dirissimas isti reipublicae minitantur cala» mitates averruncemus. Ceterum te, Illustrissime » Princeps, obsecramur, ut in provinciae nostrae » caussis eorum consilia adhibeas, quibuscum agi » lege licet, neque iis indulgeas temere, quos a » reipublicae negotiis remotos cognoveris. Submisse » autem oramus, ut propositum iter in commodius » tempus differas, siquidem mala, quae aliis ci» vitatibus acciderunt, nos monent, ut similibus » in tempore occurramus, sitque tibi persuasissi» mum, simulac quietior sit reipublicae conditio » futura, antiquius nos nihil habituros esse, quam » adventum tuum, ea qua par est magnificentia, » celebrare."

Haec epistola mihi tota tradenda videbatur, cum ob egregios sensus, qui in ea dominantur, tum quod probabiliter, ut a Guilielmo subscripta, ita ab eodem confecta est. Aysma autem munere priva-

tus, domo excedere nisi datâ veniâ vetabatur, ac Licestrius litterarum monitu a petenda Frisia, quam extremum perfugium habuerat, absterritus, nunquam rediturus, in Angliam mense Decembri abiit. (1)

Proximus annus 1588 maritima Hispanorum expeditione et perillustris classis, qua post hominum memoriam non major splendidiorque fuerat, fatis famosus fuit. (2) In qua profliganda quamvis Guilielmus versatus non fuerit, tamen non reticendum puto, quo tempore metus esset, ne naves quaedam Hispanorum Amasin aut Fretum Oresundicum infestarent, et continuo bello vexarent Angliam Frisiamque, eo monente factum esse, ut omnes phari, secundum quos dirigi maritimus cursus solet, tollerentur. Singularis prudentia a proposito hostes avertit, sed ab Emdanis, qui tutos se ab impetu existimabant, magnopere reprehensa est. (3) Ejusdem anni die 13 Junii graviter Guiliebmi animum domestica calamitas afflixit. Etenim quum per semestre tempus carissimae conjugis consuetudine et amore fruitus esset, Franequerae eam in nobilis cujusdam Julii Botniae aedibus praegnantem praema-

(1) Reyd, l. l. p. 134. Hooft, l. l. p. 296. Bor, l. l.

(2) Prodiit eximie elaborata de hoc argumento disputatio, auctore viro cel. Scheltema, titulo : *De onoverwinnelijke vloot.* (3) Reyd, l. VIII. p. 147.

tura morte amisit: attigerat vigesimum sextum aetatis annum. Tanto per omne reliquum vitae tempus mortuae desiderio affectus est, ut de instaurandis nuptiis postea nunquam cogitaverit. (1) Veruntamen etsi acerbissimum funus elugeret, tamen non depressit animum dolor; erexit potius inflammavitque, ut officiis omni ex parte satisfaciens tam praeclara et amabili conjuge dignus celebraretur. Quare anno 1589 de recuperanda Groninga consilia iniit, cumque Ordines foederatos aegerrime auxilia missuros crederet, quantum cum copiis ipse suis efficere posset, exploravit. Fame urbem ad deditionem redacturus, studuit ab omni eam intercludere ex vicinis locis commeatu. Delphizylium, quod ob egregium situm Groningae quasi portus erat, et mercaturam cum Emdanis reddebat faciliorem, expeditionis exordium Guilielmo fuit. Huc mittit de suis, quos fidissimos habet, ad loci rationem explorandam. Qui reduces defensum communitumque satis sibi castellum videri ajunt, id tamen vitii ab occidua parte habere, ut qua agger vallo proximus sit, nullâ obstante fossâ,

---

(1) Falli videtur Metereuus, dicens *triennio* post initas nuptias mortuam Guilielmi uxorem esse. l. XIV. p. 118. — Cff. Emmius, p. 55. Bor, l. XXIV. p. 107. Schuitepraatjes, p. 244. Van Leeuwen, *Kronijk der Geschied. der Vrije Friesen.* Leeuwarden. 1834, p. 452. 453.

ad portulam aditus pateat, quae effringi machinae cujusdam ope possit. Attamen hostium mentes copiasque a Delphizylio distrahere cupiens, prius ad Emotillanum castellum minus validum, sed hosti peropportunum, die 10 Martii se convertit. Navem ita parandam curat, ut ponerentur in tabulato corbes, carina adversus globorum damna artificiose tegeretur. Praeficit navi centurionem, qui eam per navigabilem rivum, Emotillam praeterfluentem, et per quem saepius clam afferri merces solebant, ante diluculum sub loci vallum advexit. A stativo praesidio, nil doli subesse rato, admissus, movit praefectis suspicionem: qui clamore edito pro viribus resistere insidiatorum manui navem egressae conati, dedere se mox cogebantur. Ibi Guilielmus in subsidium plures cohortes ducens, ne quid excitatus hostis in fortissimos milites crudelius ageret, hoc simul effecit, ut nudarentur ubivis praesidia, et Delphizylium desereretur. (1) Huc ergo curas intendit, et expeditioni praeesse voluit: sed quod illac rarius procedere soleret, et verendum esset, ne hosti Frisiisve res innotesceret, et hominum rumo-

(1) Guilielmi in occupanda Emotilla strategema in mentem nobis revocat simile quoddam, quo deinceps Mauritius a. 1590 in expugnandâ Bredâ usus est. Vidd. Emmius, p. 55. seqq. Reyd, l. VIII. p. 150. seqq. Bor, l. XXV. p. 58, Wagenaar, l. XXXI. p. 312.

ribus Groningam nunciaretur, alii cuidam commisit curam: qui Otterdumum cum trecentis armatis contendit, specie quidem ut mutaret praesidium foederatorum, reapse ut navibus copias omnes imponeret. Tum Delphizylium vesperi praetervectus, substitit in ancoris, redeuntem ex alto classem opperiens; appropinquante ea, egressi milites ad fossas perveniunt. Tentat quidam Gallus homo perrumpere machinis portam: negat auxilia, haeretque in opere, donec proxima statio, suspicata insidias, praesidiarios sibi cavere jubet. Qui quidem vix quinquaginta numero subito advolantes, Nassavianos milites ab obsidione repulerunt.

Irritum conatum Guilielmus magnopere doluit, quod tam prudenter in re agenda esset versatus, ut spe falli vix se posse credidisset. At Emotillam firmiore opere valloque munivit in Verdugonis conspectu, qui frustra per quinque et triginta dies, intra quos absolvebantur, munimenta turbare studuit. Imposito valido praesidio, discedens inde Gubernator Ordines foederatos per litteras expeditionis eventum docuit, questus simul copiarum paucitatem: gratissimum sibi facturos, si duo vel tria auxiliorum millia ad instaurandam efficacius eandem expeditionem, qua bene cedente permagna commoda in foederatam civitatem redundarent. Sed tantum aberat, ut ejus preces exaudi-

rentur, ut peterent ab eo Ordines cohortes aliquot ad sustentandum in Brabantiae finibus bellum. Itaque diminutas ille vires eduxit ad exstruendum prope Snecam castellum, ut Verdugonis per Westergoam direptiones coerceret. Magnopere id Groningae Gubernatori nocuit: quare mense Junio vetus propugnaculum Upslachtum ad navigabilis amnis ostium, quo Neozylio et Emotilla necessaria afferebantur, situm, refecit. Egregio sibi usui locum illum futurum putabat, quia trajecto per exiguum aestuarium milite feracissimas Frisiae partes populari, et duas munitiones Neozylanam et Emotillanam penuriâ vexare liceret. Sed collecto septingentorum militum exercitu, navibusque imposito, statim Guilielmus in Hunesi ostium defertur, disponit in ora Hummerciorum cohortes, et intercludere hosti commeatum studet. Mutat consilium, ubi equitatum illi adesse comperit, et conscensis iterum navibus Doecumum contendit, ut Delegatos, quae moliturus sit, faciat certiores. Probata ab iis sententia ad suos redit, per aestuarium in Amasum navigat, ac secundo vento aestuque postridie sub vesperem circumvectus Reidam, ad exiguum Swagsterzylii castellum in terram descendit, hostem inde ab auxilio Reidanis ferendo impediturus, et potiturus commeatu, qui Emdâ Groningam frequens advehi solebat. Adest cum equitibus Ver-

dugo, occupatis ceteris adhuc in opere Upslachtano, sed paullo ante quam ipse adesset ad deditionem compulsum praesidium jam erat. Relictis qui locum tuerentur et munirent, difficillimo itinere cum copiis Guilielmus Reidam progreditur. Sita haec erat in promontorio et in Dullardum porrigebatur; propugnacula duo, haud magno intervallo disjuncta, humilius alterum altero, locum defendebant. In utraque veteris aggeris extremitate, quo angustus tractus a reliquo agro separabatur, munitionem exstruit, eamque fossa et aggere cinctam praesidiario milite firmat. Hoc opere Verdugonis subsidia facile cohibet, obsidionem orditur, initio facto ob eo propugnaculo, quod in editiore solo erat; quo expugnato levius adoriundi alterius negotium fore existimabat. Neque vero Gubernatoris in re agenda virtus desiderabatur: qui quum ante jam in deducendis per salebrosa loca tormentis gnavam operam praestitisset, nunc haud minus consilio, auctoritate, exhortatione, noctu atque interdiu inter utrumque propugnaculum discurrens, effecit. Tanta Nassavianorum tamque intrepida in ferendo impetu fortitudo et constantia fuit, ut tertio ab obsidionis initio die praesidia utriusque propugnaculi, oppugnationis famâ acceptâ, de deditione convenire quam exspectare extrema mallent. Tum pro duabus munitionibus unam validiorem Guilielmus exstruxit

majori praesidio creditam. Ipse mense Quintili exeunte Leovardiam rediit. (1)

Interim cum Hispanorum exercitu Comes Carolus Mansfeldius appropinquabat, et Mosam jamjam trajecturus, foederatis provinciis bellum inferre statuebat. Opposuit suas illi copias Mauritius, annum vigesimum secundum agens, in Vornensi insula, et assentiente Ordinum Senatu, oravit Guilielmum patruelem, ut expeditis copiis exercitum suum, qui ter mille militum erat, augeret. Amice respondit, veniâque a Frisiae Ordinibus impetratâ, convenit eum. Ibi tum, ne universus exercitus in eodem negotio adhiberetur, deliberatum est, num expediret, ut valido opere Vornensis insula circummuniretur. Placuit sententia Guilielmo: ceteri obnitebantur, statuentes ante hiemem confici tantum opus non posse. Ergo ille, quum tempus terere otiose in castris nollet, rediit in Frisiam, ubi ex Upslachtani castelli confectione distributos per praesidia a Verdugone milites cognovit. Hac occasione ad Soltcampum, (locus est in ora Marnae, ab Upslachto aestuario diremtus) invadendum usus est. Agmina, quae octingentos milites complectebantur, partim navibus imposita, partim terrestri itinere usa, die

(1) Emmius, p. 59 seqq. Reyd, l. l. p. 154 seqq. Bor, l. XXVI. p. 58. Grotius, Hist. l. I. p. 138.

5 Octobris obsidionis initium fecere, et tanta vi tormentorum vallum conquassarunt, ut intra quinque dies plus quam dimidia ejus pars adjacentem fossam compleret. Quo die, quum meridie sol praesidiariis obversus facies adureret, milites acie ante vallum ordinati, post praeviam exhortationem, invocato Divini Numinis auxilio, recitatoque Psalmo, invaserunt munitionem et diruerunt. Perculsi terrore obsessi transigere cum Nassavianis militibus cupiebant, sed non auditis illi prae furore precibus, invito Guilielmo, qui parci miserorum vitae jubebat, maximam partem crudeliter trucidarunt. Peragebatur facinus istud in Frederici Bergensis conspectu, qui cum auxiliis festinanter accurrerat, sed fossis impeditus, locum obsidione liberare cum Verdugone, mox item cum suis sequente, non potuerat. Instabat hiems, et requirebant otium milites; sed Guilielmus veritus, ne Soltcampum citius hostes recuperarent quam amisissent, ante quam dimitteret eos in hiberna, novum castellum exstrui jussit: in quod opus ut per serenum tempus gnavius incumberent, proposuit praemia, ipseque quotidie interfuit. Ex iis curis et vigiliis, quum frigesceret aër, gravem morbum contraxit: quo in dies magis debilitatus, domo excedere vetitus, lecto tandem affixus, non destitit assiduo ex Centurionibus quaerere, opusne bene procederet, militesque prospera valetudine gaude-

rent. Tandem die 12 Novembris sanitati restitutus, glacie strictis fluminibus, in hiberna copias labore fessas coëgit. (1)

Guilielmus, quum nihil non in publicam patriae salutem tentare vellet, acciperetque, Ordinum foederatorum conventum ad initium proximi anni (1590) indictum esse, Hagam profectus est. Ibi de rebus in futuram aestatem gerendis deliberabatur; aliis in alia omnia abeuntibus, sententiam Guilielmus rogatus, gravissimam habuit orationem, et ea verba fecit, quae abhorrebant quidem prorsus a communibus praesentium sensibus studiisque, sed mirifice valere videbantur ad hostium vires penitus frangendas. Tria haec erant, quae copiose explicabat: ut militibus diligenter stipendia solverentur, ut iidem in cuniculis fossionibusque faciendis sedulo exercerentur, tandem, quod caput orationis erat, ut non in tuendis duntaxat finibus ab hostium excursionibus bellum deinceps versaretur, sed majore vi et alacritate versus ea loca moveretur, quae foederatis magno cum detrimento ablata Hispani adhuc tenerent. Postremum hocce, utpote novum et inauditum, ideoque ab Ordinum mentibus alienum, persuadere iis tum quidem non potuit, sed quos aculeos

(1) Emmius, p. 65. Reyd, l. I. p. 158. Van Meteren, l. XV. p. 297.

in iis reliquerit, luculenter inde patet, quod proximo anno sententiae ejus consentanea peregerint. (1) Redux in Frisiam exemplo ceteris provinciis praeiit, et assidue milites iis artibus exerceri jussit, quae in obsidiis gravissimi sunt et eximii momenti. Verdugonem autem increpuerunt maxime Groningani, quod exeunte praecedente anno tam opportuna loca inertiâ amisisset. Quare is veritus, ne seditiose sui et contumeliose agerent, a Parmensi multa prece, famae periculo ostenso, trium millium militum legionem impetravit: his quingentos pedites, trecentos equites, quos ipse habebat, adjunxit. Tam numeroso exercitui fortiter Frisii resistere cupiebant, qui amissâ propter debile praesidium, nec satis firmam munitionem Emotillâ, Gubernatoris auspicio hostibus obviam euntes, primum Doccumum inter et Leovardiam castra metati sunt; dein bis mille militum exercitu novis quatuor centuriis ab Ordinibus foederatis aucto, processerunt Collumum, unde haud procul hostis consederat. Ab utroque belli duce universa rei dimicatio evitata, Guilielmo quidem metuente, ne superior bello discedens Verdugo, suis occidione deletis, resistente nemine, Frisiae sibi loca submitteret; Verdugone vero in simili sua fortuna ignominiam reformidante, quam ipse veteranus a no-

(1) Emmius, p. 67. Reyd, l. l. p. 160.

vicio devictus haud immerito esset subiturus. Ergo utrinque per procursationem diu res agebatur, quum recedere neuter, nisi vellet alterius commodis favere, tuto in regionem suam posset. E quibus difficultatibus, quae parum veterano honorificae erant, ut subito se expediret Verdugo, idem quod antea irrito machinatus fuerat, iterum tentare non erubuit. Sublato Guilielmo victoriis suis nihil amplius obstare ratus, in ejus castra duos perditos Hispanos, Julianum Sanchium de la Rotta, et Petrum Moralem Cordubensem, pactâ mercede, misit, qui interficerent nihil doli suspicantem. Sed, sive illi parum caute opportunitatem quaesiverint, sive diligentiâ suâ Nassaviani istorum astutiam fefellerint, detectâ fraude capite poenas exsolverunt, corporibus quadrifariam distractis. Ceteros sceleris socios quamvis prodere salutis suae mercede Julianus voluit, tamen Guilielmus, ut vitae miserorum parceret, acceptis tantum nominibus, qua erat naturali clementia, non persecutus est, sed observandos curavit. (1)

Prospera fuere anni 1591 initia foederatis. Conjunctis viribus, implorato Guilielmi auxilio, die 15 Maji Zutphania a Mauritio, supremo belli duce, obsideri coepta. Cessit celeriter urbs Nassavianis,

(1) Emmius, p. 71. Reyd, l. l. p. 163. Bor, l. XXVIII. p. 4. Winsemius, l. XIX. p. 800. Wagenaar, l. XXXI. p. 349. Cérisier, Tableau des Prov. Unies. t. IV. p. 182.

qui statim ad Daventriam, lautiorem et munitiorem civitatem, castra posuerunt. Nono ab obsidionis initio die, postquam fortissime tormentorum vi certatum erat, et Mauritius pontem in Isala flumine custodiendum curaverat, praesidiarii, obortis tenebris, facto ex urbe impetu, incendio pontem delere, aut vi abrumpere studebant. Sed factum Guilielmi curâ, qui tale quid eventurum intellexerat, ut non solum non improviso adessent, verum etiam abjecta delendi pontis spe, acri certamine exciperentur a Nassavianis, et qui securi superbique exiissent, iidem anxii perturbatique in urbem se surripere cogerentur. Postero die summo mane ad deditionis leges descenderunt obsessi. Comes Hermannus Bergensis, penes quem praefectura fuerat, urbem egressus, cum Guilielmo de oculorum coecitate querebatur, (nam durante obsidione pulvere nitrato adusta facies erat); mox a Mauritio benigne in praetorio exceptus, conversusque subito ad Guilielmum: » Saepe, inquit, » cum Verdugone egomet, et ille mecum ita loqui sole- » bamus, quasi ineptum esset credere, praeclaram » quandam ab Ordinibus institui obsidionem, et » adduci adhiberique majorem tormentorum nume- » rum posse; at egregie nostram tu opinionem fefel- » listi." Tum subridens ille leniter: » Probe equi- » dem, dilecte consobrine, ex omnibus rebus tuis » gestis intellexi, nos tibi Geusios odio vituperioque

» esse, verebarque ne quid tibi inde mali accideret. » Te ipsum jam ita ea de re disserentem audire » gratum mihi acceptumque est." Qua ille audita voce, quasi ipsum nimia dixisse poeniteret, nihil amplius locutus est. (1)

Interim foederati Ordines hoc victoriarum cursu elati, nimia imprudenter concupiverunt. Nam continuo arduam Groningae obsidionem, velut si puerile esset negotium, instituendam censebant. Erant, qui cum Guilielmo a praepostera festinatione alieni, Covordium suaderent petere, id caussae afferentes, quod facile ex Groningano itinere oppidum illud expugnari posset, plurimumque inde respublica emolumenti caperet. Non audita illorum sententia est; castra Meppelum (oppidum Drenthiae est) mota, Verdugo cum mille quingentis militibus, relicto Covordio, ad Groningae suburbium properavit. Deliberatum, expediretne civitatem vi adoriri, metuentibus nonnullis, ne cives copiarum adventu territi praeter consuetudinem intra moenia Verdugonis auxilia reciperent. Metus haud inanis videbatur, adeo ut in proximo urbi pago Helpeno considerET exercitus. Interdum ad moenia usque procedebant velites, et levi cum hoste proeliorum

(1) Reyd, l. IX. p. 168. seqq. Emmius, p. 74. Van Meteren, l. XVI. p. 394. seqq. Bor, l. l. p. 26. seqq. Grotius, l. II. p. 150.

genere utebantur. Haesitabatur adhuc, quid actu optimum esset, quum subita Parmensis valido cum exercitu Groningam proruentis fama omnem suspensis animis eximeret dubitationem. At sapienter Guilielmus, ne re infecta inde discederetur, auctor fuit vicina loca, propugnacula, munitiones in accolis capere, quo facilior pateret magis opportuno tempore ad civitatem obsidendam aditus. Placet sententia, eodemque die Delphizylium contendunt. Die 21 Quintilis, vix adductis dispositisque tormentis, dedit se praesidium, pactâque conditione, ut tutum a militum injuria Groningam perveniat, Frisiorum cohors comitatur. Cum peropportunus locus Delphizylium esset, Guilielmus exemplum aliorum, qui antea potiri Groninga studuerant, secutus, exstruendam ibi amplissimam arcem curavit, quae in posterum, si expediret, haud ignobile emporium commode fieri posset. Communivit arcem maritimi aggeris praesidio, eoque veterum munimentorum vitium, quae conjunctum cum vallo aggerem habuerant, emendavit. Inde Upslachto, Emotilla, Letteberta aestate media occupatis, Stenovicum movent, cujus haud dubie praesidium Mauritianis succubuisset, nisi obvenisset repentinus nuncius, reducem e Gallia Parmensem Cnodsenburgo castello imminere. Huc ergo protinus Mauritio curas intendente, Guilielmus in Frisiam ad exploranda

Verdugonis consilia se recipit: dumque in communienda Slochtera versatur, abundans ille otio turbat opera, eripitque locum, nihil ultra conatus. Mox deductae in hiberna copiae, sed jussu Mauritii ad bellum revocatae. Rogatus quoque a patruele Guilielmus, ut novae expeditionis socius esset, et duodecim secum duceret de gente sua cohortes. Conjuncta agmina, paratis necessariis, Noviomagum moverunt: haerebat in Brabantia Parmensis, neque subito in Gelriam redux credebatur. Quare milites metus expertes, tam praeclare rem gesserunt, ut intra dierum hebdomada praesidium obsidentibus se dedere cogeretur. Cumulus hic cum praesentis anni fatis, tum Nassaviorum gloriae die 21 Octobris accessit. Ingens inde gaudium respublica foederata cepit, utque Deo suus praestaretur honos, cujus auspiciis tam insignis fortuna parta bello esset, publicae supplicationes per omnes provincias decretae. (1)

Exactis hibernis multum disceptari in Ordinum consessu coepit de belli persequendi ratione. Aliis alia suadentibus statuebatur, ad Frisiae fines omnem belli vim admoveri, demonstrante Guilielmo, intra quinque vel sex dierum hebdomades Stenovici ob-

---

(1) Emmius, p. 75. Reyd, l. l. p. 170. seqq. Bor, l. l. p. 31. seqq. Wagenaar, l. l. p. 357.

sidionem, licet esset gravissima, confici posse; multo autem praestare, ut primum difficiliora loca peterentur, quibus in potestatem redactis, minora sponte ad deditionem invitarentur. Ex collectis copiis exercitus prodibat octo millium peditum, mille quingentorum equitum; hostilis mille pedites et sexaginta equites complectebatur. Mense Majo exeunte parata necessaria, loca castris opportuna capta, tormenta rite disposita. Sed quum graves continuique imbres initio grassarentur, tempus illud ad circumvallanda castra usurparunt: tum cuniculos ad subruenda moenia ducere, et ligneas excitare turres, triginta pedes altas, rotisque mobiles coepere. Pridie autem Cal. Junias Guilielmus, quum propius ad hostem accessisset, residua explosae plumbeae glandis vi ita percussus est, ut angustum spiritum pene efflaret; sed evasit periculum, ne sanguine quidem effuso. (1) Mox cum cuniculi ceteris satis producti viderentur, ut commode tormenta explodi possent, restitit ille, perhibens latius debere extendi, donec fossae profundae arduaeque solo inaequarentur: id nisi fieret, vanos esse tormentorum usus. Aliorum tum quidem praevaluit consilium; mox vero Guilielmum recte vidisse prudenterque monuisse apparebat, adeo ut suadentem iterum, ut naviter in fossionum opus mi-

(1) Reyd, l. l p. 176.

lites incumberent, exaudirent. Aderat suis ope et consilio, neque diurnis nocturnisque exhortationibus abstinebat. Multo dein tempore in faciendis specubus exacto, postquam trecenti milites noctu clam in oppidum irrepserant, et frustra Coquellus, strenuus praesidii praefectus, aequas conditiones impetrare speraverat, oppugnandi loci consilia agitata. Vesperi Guilielmus omnes cohortium suarum praefectos tribunosque in tentorium cogit, ac sua cum singulis praecepta communicat. Ad haec tria universi attenderent mandavit: ut in expugnationis ardore ordini adstringerent milites, neque rapinis prius indulgerent quam victoria certa esset; ut illaesi a militum insolentia senes et infantes servarentur; ut ne turpiter mulieres puellaeque violarentur. Tum Coquellus iterum transigere cum hoste velle, proponere alias aliasque leges. Sed Mauritius Guilielmusque expugnationis jamjam futurae commoda spe praecipientes, in proposito perstiterunt, donec tandem, intercedente Ordinum Senatu atque abs re ducente ad incitas hostem redigi, die ab obsidionis initio trigesimo octavo utrinque deditionis leges convenirent. Hac victoriâ reportatâ, disceptabatur, utrum persequi bellum, an in praesidia milites cogere praestaret. Priore sententia probata, non convenit, cuinam potissimum urbi impetum ferrent. Instabat Guilielmus, Covordium illico tenderent, quod eodem

posset temporis spatio expugnari, per quod Stenovico vacassent: inde repulso hoste, Frisiam, Drenthiam, et accolarum regionem tutas a bello fore, Groningam adeo ad angustias redactum iri. Minabantur quoque Frisii, si alio transferri bellum placeret, suas copias non ituras, neque quam promisissent 30000 florenorum summam, ducentosque currus foederatis se tradituros. Itaque Covordium, cui praeerat Fredericus Bergensis, mota castra. Relictus ibi Guilielmus cum Frisiacis et Trajectinis copiis: Othmarsum Mauritius cum reliquo agmine et equitatu progressus, occupat, et Oldensaliae expugnandae opportunitatem explorat. Ibi tamen nihil tentare ausus, in castra sub finem Quintilis redit, et patruelem diligenter ducendis cuniculis occupatum, castellumque ab altera oppidi parte, quo hostem Groningae aditu intercluderet, excitantem, invenit. Conjunctis copiis vis invalescit, quam strenua praesidiariorum virtus requirit. Neutra pars alteri pertinaciâ cedit: occupatis extra oppidum munitionibus confugiunt in arcem obsessi. Ejus vallum et propugnacula tormentorum vi ad ruinam conquassata spem faciunt Mauritio, maturaturos eos deditionem. Sed ad omnia magis quam ad conditiones pronus hostis exspectabat Verdugonis auxilia. Cujus mox adventus in castris Nassavianis, quae bipartito divisa erant, nunciabatur. Jamque pontem in Vidro flumine

superaverat, atque illucescente die 27 Sextilis cum linteatis copiis invadere castra studebat. Antecedentem noctem suspectam egerunt Nassaviani, sed quasi cum luce metus omnis tolleretur, in somnum lapsi sunt: e quo tamen mox illos ingens hostium strepitus, victoriam conclamantium, excitavit. Nec vigilabat adhuc pars major, quum Guilielmus, qui perire quam cladis nuncium accipere malebat, quod, dissuadentibus multis, obsidionis auctor fuisset, conscenso equo, istuc, unde clamor acceptus, advolaret. Aderat cito in alteris castris, ibique excubiarum caedem et fugam cognovit. Tum eductos e castris equites ad reprimendam vim hostilem duplici via progredi jussit, ut terrore perculsi, quo se verterent, hostes non haberent. Ubi illuxit, ingentia hostium funera conspiciebantur, quos vestium candor prodiderat. Interim novum Verdugoni impetum ferenti tam fortiter restitere experrectae Ordinum copiae, ut praecipitem fugam cum suis cogitaret. Quorum in tergis haerere quum maxime Mauritiani gestirent, obstitit iis Princeps recte monens, praecipuum opus, Covordii obsidium, retardari non debere.

Satis laudari in re illa gerenda utriusque Nassavii Comitis intrepida virtus non potest, qui et assiduo militibus affuerunt monitis et exhortationibus, et vero nil non fecerunt, quo impetuosam hostium

vim coërcerent. Nec tamen Guilielmo constantia bene cessit: qui abhinc duodecim annos graviter ad Covordium vulneratus, neque in praesentia salvus inde abiit. Accidit enim, ut glans plumbea sclopeto emissa oblique latus infra costas percuteret, at felici fortuna juxta umbilicum strictis intestinis ventre exiens, quamvis sanguine madentem, non impediret, quominus ad proelii usque finem salutari consilio suis prospiceret. Repulso demum hoste in tentorio obligandum vulnus curavit, neque vulgari circumstantes plurimi militesque solliciti laetitia afficiebantur, quum vitae periculum a vulnere abesse artis periti nunciarent. (1) Verdugonis autem abitus recreabat obsidentium animos, et universae jam vires acrius contra oppidum adhibebantur. Is autem rei eventus fuit, ut rejectis a Mauritio deditionis legibus, ad humiliores descensum sit: probatae hae fuerunt, pridieque Cal. Sept. Fredericus Bergensis cum 500 praesidiariis oppidum egressus est, quod, refectis operibus, Frisiis custodiendum traditum. (2)

(1) *Le Prince Maurice ne perdit que trois hommes, six blessés, et entre iceux le Comte Guillaume d'un coup au ventre pour avoir combatu désarmé: il l'en tança, eh! qui a jamais veu, dit-il, aller au combat sans armes?* — De la Pise, *Tableau de l'hist. des Princes et Principauté d'Orange.* p. 631.

(2) Emmius, p. 78. sqq. Reyd, l. l. p. 177. sqq. Van Meteren. l. XVI. p. 453. Bor. l. XXIX. p. 30. sqq. Grotius,

Sub anni finem Parmensis Atrebati commorans, expeditionem in Galliam suscepturus, diem obiit. Mortuo Ernestus Mansfeldius octogenarius succedit, cui mox Comes Fontanus et Ernestus Austriacus sufficiuntur. (1)

Haud minus anno 1593, quam praecedente foederatorum Ordinum sententiae discrepabant. Suam quaeque provincia, non communem caussam, spectabat. Frisia quidem urgere, ut qua cessaverat auctumno bellum, ibi susciperent denuo ac persequerentur foederati; inutiles, si alio transferretur, superiores victorias futuras. Hollandiae Ordines Gertrudisbergam obsidione cingi malebant, neque alienus ab eorum sententia Mauritius videbatur. Qua erat insigni Guilielmus humanitate et indulgentia, Frisiis suasit, ut Hollandis auxilia suppeditarent; expugnatâ Gertrudisbergâ, non dubium esse, quin mutuam quoque ipsis opem illi ferrent. Effectu consilium caruit; et quae superiore anno armorum societas tantopere Batavorum res auxerat et ad praeclara quaeque porro tendere credebatur, perversis provinciarum studiis dissolvebatur. Sic quidem Guilielmus, cum longe copiarum numero Verdugone esset inferior, Groningam petere non ausus

---

l. II. p. 163. Winsemius, l. XIX. p. 805. 806. Wagenaar, l. l. p. 365. sqq.

(1) Reyd, l. IX. p. 195. Bor, l. l. p. 44.

est. Misit vero Taconem Hittingam ad Drenthiae fines cum octingentis armatis, ut eos ab hostili impetu defenderet: ipse maritimo itinere cum quatuordecim cohortibus die 5 Aprilis ad Groninganos libero Bortaniae aditu intercludendos proficiscitur. In Dullardum sinum delatus, Bellingwoldium appellit, hac mente ut aut apertis aquarum septis campos inundet, aut clausis sponte undantes siccari vetet. Locum ibi, quo amnis per claustrum ex Monasteriensi agro veniens, et Weddanam arcem cum agro proximo irrigans, in Dullardum profluit, ad aedificandum castellum capit, cujus ope et claustrum et viam militarem et commeatus in suos vertere usus possit. Appropinquat subito cum bis mille militibus ex Transrhenana ditione Hermannus Bergensis, rumpere munimenta studens; sed irrito facto conatu Winschotam se recipit. Verdugo autem, ut diverteret Guilielmum ab instituto opere, equites in Frisiam praedatum mittit, qui cum nihil optatius haberent, tam diligenter officio functi sunt, ut brevi rustica opera ubivis vastata jacerent, et tres vici die 21 Aprilis incenderentur. Exspectationi respondit eventus: Frisiae proceres absentem Gubernatorem negligentiae coram plebe accusarunt misereque objurgarunt. Quod ubi per amicos comperit, relictis ad perficiendas Bellingwoldii munitiones octo cohortibus, celerrime ipse in Frisiam se confert.

Ante tamen quam Leovardiae in conventum prodiret, in provinciae suae et Drenthiae finibus, ne iterarentur hostiles incursus, cavit. Praesentem tum criminati sunt Ordines, quod res segnius gerens, suae magis gloriae rationes quam provinciae salutis ageret. Praestitisse, fines a praedatoriis copiis tueri, quam in vano exstruendarum munitionum labore sudare ac fraudare tempus. Ingenue tum ille et accurate consilia sua iis exposuit, monuitque ad mentis sanitatem redirent, neque tam abjecte de se existimarent tamque inconsiderate calumniarentur. (1)

Interim Gertrudisberga non satis valide a Mauritio ob copiarum paucitatem obsidebatur: quare patruelem suis et Ordinum Senatûs verbis subsidia rogare statuit. Respondit hic, carere se militibus prae frequentibus Regiorum excursionibus non posse, neque aliud ei in praesens emolumentum afferre, nisi quod numerosum Verdugonis exercitum impediret, ne Brabantiam invaderet et Gertrudisbergensibus auxilia suppeditaret. Attamen iteratis Mauritii precibus cessit, misitque quatuor centurias peditum, alias duas brevi secuturas promittens. Tanti haec Frisiae robora momenti fuerunt, ut mox urbs se dedere cogeretur. Audiens vero Gui-

(1) Emmius, p. 89 seqq. Reyd, l. X. p. 197 seqq. Van Meteren, l. XVII. p. 20 seqq. Grotius, l. III. p. 174 seqq. Bor, l. XXX. p. 25, 52 seqq.

lielmus, parari a Verdugone expeditionem ad Covordium obsidione cingendum, egregium excogitat strategema. Namque ut oppidum victûs inops recreaturus lateret hostem, commeatum Stenovicum deferri ab equitibus jussit, dumque ipse cum pedestribus copiis propius ad Verdugonem movebat, Covordianis necessaria Stenovico die 9 Quintilis afferebantur. Hujus rei nuncium Groningani moleste tulerunt, et invecti sunt in Verdugonem, ejus culpae neglectae occasionis damnum imputantes. (1)

Ad recuperandam autem Groningam peropportunum Guilielmo praesens tempus videbatur. Quare ut adduceret in eandem sententiam Ordines, monuit eos, nullo amplius modo conjunctis foederatorum viribus civitatem parem futuram. Quod si etiamnunc dubium quibusdam videretur, reputantibus secum, in suburbanis munitionibus versari cum tribus militum millibus Verdugonem; verosimiliter externum hostem, accepto expeditionis nuncio, cum firma manu Tubantiam invasurum; circumveniendae urbi expugnandaeque nec reliquum anni tempus, neque Ordinum copias posse sufficere: hos simul animadvertere jussit, Verdugianorum robur, etsi maximum esset, tamen propterea facilius

(1) Emmius, p. 94. Reyd, l. l. p. 207. Van Meteren., l. l. p. 61 seqq Bor, l. l. p 35.

adactum ad extrema iri, quod ejus milites pessime apud Groninganos audirent, neque intrandae urbis spem ullam haberent: Verdugonem, quo pluribus copiis polleret, eo illas negligentius habere et perdere levius. Quod vero timerent externi hostis adventum, arceri eum egregie a Tubantum finibus posse, si equestri praesidio firmarentur Transisalanae oppida. Negligendas porro temporis angustias esse censebat, quandoquidem omnis, qui Groningam ambibat, ager editus, durus et arenosus esset, adeo ut sine gravi incommodo vel morborum metu ad mensem usque Novembrem consistere in castris exercitus posset. Quin potius optabilem sibi seram anni tempestatem videri, qua aegerrime per salebras paludesque succurrere afflictae civitati Hispanorum auxilia auderent. — His ita perspicue expositis ne sponte assentirentur Ordines, metus fecit, ne bello Groningam translato, Frisiae agri vicinorum rapinis paterent. Praestare censebant, non intermissis vexationibus ad deditionem compelli urbem; quo consilio ex vicinis urbi agris tum abigi rusticos, tum devastari hornotinas fruges oportere. Nec vero defuere in Ordinum coetu, qui suspecta Guilielmi consilia haberent, quasi privati sui et honoris et emolumenti, non reipublicae caussam ageret. Ceterum etsi belli fortunae rusticorum ejectio favere Guilielmo videretur, tamen alienum idem ab hu-

manitate, alienum a priscis Batavorum moribus sensibusque existimabat, tantam hominum multitudinem, postquam maxima tributa solvissent, hoc tempore, quo haud longe a miseriarum fine se abesse putarent, sedibus pellere fortunaeque committere ludibrio. (1)

Itaque obsidendae Groningae spe ademtâ, claudendae Bortaniae Guilielmus consilia init: nudare vero provinciae fines copiis non ausus, ter mille milites ad eam expeditionem petendos a Mauritio censet. Negant Ordines; tamen conveniunt, ut Hagam mittantur, qui rem cum Ordinibus, horum Senatu et belli duce supremo deliberent. Fluctuant animis, difficultates moventur, et perpenduntur: fit, ut promittantur auxilia. Ergo Guilielmus cum triginta duabus peditum, octo equitum centuriis Suolla die 11 Sextilis profectus, occupatis nonnullis ex itinere locis, Bortaniam contendit. Desertam invenit, nulloque vallo firmatam; quare vallat, latissimâ fossâ circumdat, et quinque propugnaculis tutiorem facit; confecta opera aliquot cohortium custodiae commendat. Otiosus autem circa Groningam Verdugo considebat, civium opprobriis lacessitus; sed Frederici Bergensis adventum edoctus, maxima omnia concipere animo coepit. Expugnato ille Othmarso, per Benthemensem

(1) Reyd, l. l.

agrum progressus, Verdugoni obvius fit; conjungunt exercitus suos, quos, recensione facta, quinque peditum millibus, mille quadringentis equitibus constare patet. Tum subito mutato consilio, dirimere agmina placuit, dumque Bergensis in capiendo Adoardiano castello diutius, quam loci infirmitas pateretur, versabatur, Verdugo Slochteram occupavit, inde Winschotam et Weddam, trucidatis praesidiis, in potestatem suam redegit. Divertens inde, ineunte Septembri, in Drenthiam cum maxima copiarum parte, certior factus, Guilielmum Tolberti (non procul Groningâ in Fredewoldiis situm est) castra metari, eo ipse quoque subito tendit, fore sperans, ut, copiis superior, vel commissâ pugnâ eum devincat, vel sponte in fugam vertat. Sed haud ignarus ejus consilii Guilielmus, quum validiores ejus vires acciperet, a temeritate alienus, in tutiora loca abire et evitare belli vim volebat. Ibi quum Ordinum Delegatos, qui aderant in castris, ut adjuvarent eum ope et consilio, contraria sentire intelligeret, et frustra eos monuisset, clade acceptâ, fertilissimos Ostergoae et Westergoae agros hostium injuriis obnoxios fore, tandem, » *age*, » inquit, *hic belli aleam experiamur*, *quandoqui-* » *dem id vobis e republica et foederatorum digni-* » *tate ac gloria esse videtur. Dabo operam*, *ut* » *exploratum omnes habeant*, *non de meo me*

» *periculo, sed de publica fortuna sollicitum,* » *castra movenda censuisse.*" Tum pro temporis angustiis muniri castra jubet. At vero postridie (qui m. Sept. 29 erat) appropinquante cum ingenti exercitu hoste, Delegati Ordinum, accepto ex trepida et profuga rusticorum turba nuncio, ita ipsi quoque trepidarunt atque exhorruerunt, ut, tempestivo discessu morti militum vitae eriperentur, suaderent. Tum intrepide Guilielmus: » *Non am-* » *plius de discedendo,* ait, *sermo est, sed de* » *congressu cum hoste faciendo et firmiter illi* » *resistendo. Quae hesterno die egregia ad mo-* » *venda castra et commodiora loca expetenda* » *dabatur opportunitas, eadem hodie periculo-* » *sissima. Nonne videtis, ubi hanc stationem* » *deseruero, irrupturum prius in terga militum* » *equitatum esse, quam alio me contulerim, et* » *coactum me iri non solum tot tantorumque* » *militum capita, quorum mihi cura tam dili-* » *genter commendata est, sed rem communem* » *et vestram omnium salutem ac famam in dis-* » *crimen vocare? Hoc enim exercitu fuso fu-* » *gatoque, quae, quaeso, futura erit provinciae* » *nostrae fortuna? Quocirca hic nobis subsis-* » *tendum est, hic subeunda certaminis alea, si* » *prospicere militum saluti, funestumque a pro-* » *vincia nostra exitium averruncare velimus.*",

Quibus illi auditis nihil aliud proferre, nisi: »*eheu* »*miseram Frisiam! eheu miseram Frisiam!*", non dubitantes, quin castra praeteriens Verdugo omnes agros ferro flammaque vastatum iret. Quam ob rem consolatus est eos. »*Bonis*, ait, *animis estote;* »*faciam, ut me hostis exquirat, nec progre-* »*diatur nisi profligato hoc exercitu nostro.*" (1)

Verdugiani autem proelio inhiantes, praeclaro ordine accedunt, et ad vallum castrense contendunt. Ibi non parum obstupescere, quum munita castra animadvertunt. Sed Verdugo suis ubique adest, et adhortatur ad praeclara quaeque strenue peragenda. Ab altera quoque parte Guilielmus, ne frequentissimi hostis adspectu territa acies perturbetur, huc illuc assidue volitat, et prudentis imperatoris officio praeclare fungitur. Universam rei dimicationem sedulo evitans hostibus, perrumpere castrense vallum conantibus, resistit; emisit deinde equitum turmas, qui leviori eos certaminis genere distraherent, tandemque tormentorum campestrium fulminibus tantum Verdugoni terrorem incussit, ut eodem die horâ tertiâ pomeridianâ castra movere cogeretur. Guilielmus quanto cum vitae periculo in pugnandi ardore versatus fuerit, inde patet, quod bis equus, quo

---

(1) Emmius, p. 98. seqq. Reyd, l. l. p. 208. seqq. Schuitepraatjes, p. 282. 283.

vehebatur, tormentariâ pilâ occisus sit. (1) Vetuit suos fugientem hostem persequi, et mox cum salvo exercitu in Frisiam rediit. Attamen ubi rescivit, recepisse se Groningam cum copiis Verdugonem, conscensis navibus cum lecta manu Bellingwoldium petit: unde digressus ex Weddana arce Regios pellit. Tum ex Ordinum voluntate Adoardianum castellum adoriri coepit; sed quum ingrata coeli temperies (exibat m. Octobris) nimis ducendis cuniculis aliisque operibus adversaretur, praediceretque Gubernator, plures in eo expugnando morbis aliisque incommodis perituros milites, quam per totam aestatem cecidissent, eo animos deduxit, ut omissa obsidione in hiberna cogi copias placeret. Gratissimum tamen otium novae expeditionis aerumnae interruperunt, quam Mauritius suscepturus adversus Brugenses erat. Patruelem rogavit, ut consilio se et copiis adjuvaret: qui statim profectus est, et in Flandriam cum illo contendit. Ibi vero salebrosis viis itinerumque erroribus ita retardati sunt, ut, re infecta, naves quantocius conscendere cogerentur. Ex ea expeditione Mauritius morbum gravem contraxit: Guilielmus incolumis in Frisiam rediit, suosque in hiberna dimisit. (2)

---

(1) Winsemius, l. XIX. p. 813. 814. Reyd, l. l. p. 214.
(2) Emmius, p. 107. Reyd, l. l. p. 216. Bor, l. XXX. p. 64. Grotius, l. III. p. 181.

Per totam fere hiemem Verdugo Covordium pressum obsidione tenuit. Mauritius autem afflictam praesidii conditionem miseratus, proximi anni 1594 m. Aprili Suollam cum exercitu se recepit. Eo quoque Comites Solmensis, Philippus Nassavius, alii bene multi cum suis singuli agminibus confluxerunt. Praeterea Guilielmus diligenter a patrueli in armorum societatem vocatus, cum fortissimis copiis eum brevi convenit. Quorum quidem adventum initio contemsit Verdugo: mox vero, ubi propius movere eos, et subsidio Covordianis adventare intelligebat, tanto repente metu perculsus est, ut die 7 Maji, postquam octo menses ad oppidum consederat, subito obsidionem solveret.

Tam insperata fortuna foederatis animos non addere non poterat, ita ut maxima peragenda mente conciperent. Ambigebatur, utrum Verdugianos persequi, an Groningam convertere arma praestaret. Mitti igitur duos legatos Hagam Comitis placuit sciscitatum, utra sententia Ordinibus foederatis acceptior videretur. Ab his vero communi Ordinum Senatûs et Mauritii judicio res submittebatur, qui deliberatione Suollae initâ, Groningam belli molem admoveri decreverunt. Itaque tormentis et reliquis impedimentis paratis, copiae in viam se dederunt. Ubi accesserunt ad Groningam, bipartito divisae, castra metatae sunt: majora, in quibus ipsi belli

duces tendebant, Helpenae ad australe urbis latus, minora ad oppositam partem posita, duplici vallo circumdata cum adversus tormentorum urbanorum impetum, tum adversus externa auxilia, si quae forte supervenirent. His ita comparatis, quum ad cuniculos faciendos se converterent milites, accidit, ut tantis tormentorum fulminibus peterentur castra, ut intra brevissimum tempus sulcis campi vicini finderentur, fragore ingenti resonaret aër. Nec minus valide urbs quassata, immissis pilis fulmineis, globisque fumantibus, quorum explosiones plurimum Groninganis detrimenti attulerunt. Qui ad deditionem die 15 Maji sollicitati, belli ducibus responderunt, *operam navarent.*

Triduo post castris excessit Guilielmus et cum duodecim centuriis ad castellum Adoardianum se contulit. Praesidio, quod centum et viginti armatis constabat, praeërat Prengerus, minime imbellis homo et veteranus miles, a quo, adductis propius aliquot tormentis, iterum expoposcit locum Guilielmus, concedens ut salvo honore ex militari consuetudine cum suis egrederetur. Hanc ille veniam aspernatus, brevi dedere castellum cogebatur, tantaque edita a militibus strages, quos recens damnorum, ibidem superiore anno acceptorum, memoria inflammabat, ut ad unum omnes praesidiarii interficerentur. Invitus expugnationis crudelitatem et barbariem

adspexit Guilielmus, sed reprimere feroces suorum et vindictam spirantes spiritus nullo modo poterat.

Interim obsidio Groningensis summo ardore continuabatur. Cuniculi brevi ad urbis fossam producti: crebrae ex urbe excursiones nocuere magnopere obsidentibus, sed quo adversior iis fortuna, eo alacriores et magis intrepidi animi. Obstinatos autem diuturno bello Groninganos irritarunt magis etiam Jesuitae, artibus quorundam clam in urbem admissi. Inde factum, ut moderatiores viri furori plebis resistere non possent; et gravissimae seditiones civiles exorirentur. Induciae perfide violatae, et tormentorum fulmina repetita. Tandem cum specûs pulvere nitrato referti subito exploderentur, tantaeque corruentium aedium ruinae essent, ut facilis foederatis ad urbem aditus pateret, post multas deliberationes de deditionis legibus die 13 Quintilis convenit. Postridie excessit praesidium, novae copiae immissae, quas sequebantur belli duces, hilari suorum animo laetisque acclamationibus excepti. Leges, quibus se dederant Groningani, aequissimae fuerunt; namque adscripti foederatorum societati, salva jura et privilegia, quae iis ante defectionem fuerant, recuperarunt. Deinde qui pridie sub vesperem se receperant in castra duces Nassavii, in civitatem redierunt. Comitabantur eos tres ex eadem gente Nassavia Comites,

Guilielmi fratres, tres Comites Solmenses, Nobiles alii permulti. Ipse Guilielmus in Verdugonis aedes ducebatur, et, ex deditionis legibus, proclamatus Groningae Gubernator, in eo munere die 22 Junii 1595 ab Ordinibus foederatis confirmatus est. (1)

(1) Emmius, p. 109. seqq. Reyd, l. XI. p. 224. seqq. Van Meteren, l. XVII. p. 72. seqq. Bor, l. XXXI. p. 8. seqq. Grotius, l. I. p. 185. seqq. Wagenaar, l. XXXI. p. 385. seqq. Bentivoglio, op. cit. P. III. l. I. p. 390. seqq. Winsemius, l. XIX. p. 817-824. Cérisier t. IV. p. 240 seqq. Gasparus Ens, *Mauritiados* l. IV. p. 195. seqq. De la Pise p. 636. 637.

§. 3.

RES GESTAE GUILIELMI LUDOVICI, POSTQUAM GRONINGAE ET DRENTHIAE GUBERNATIONEM OBTINUIT.

AB A°. 1594—1620.

Groninga in meliorem statum redacta. Ordinum Senatûs decretum. Grolla frustra a foederatis obsidetur. Covordii munitio, quam suaserat Guilielmus, impedita. Guilielmus novarum regionum Gubernator creatus. Bellicam expeditionem cum Mauritio suscipit. Rhenoberca deditur iis. Aliae urbes sequuntur. Guilielmus laborum praemio ornatus. Praefecturae Hispanicae in Belgica mutatio. Emrica Batavorum armis recuperata. Turbae in Ostfrisia. Guilielmi ad Emdanos litterae. Succedunt varii ejus conatus in seditione reprimenda. Consilia belli, ab Ordinibus inita, a belli ducibus improbantur. Dotocomum deditur. Guilielmi auctoritas ad pacanda castra implorata. Tumultus Groningani. Guilielmi sententia in nova molienda expeditione. Rhenoberca capta. Ordinum foederatorum praematura consilia. Gravia deditur. Spinola Ostendae obsidium continuat. Victoriae in Flandria a Batavis reportatae. Mutatur belli fortuna. Spinola in Frisiam tendit. Vario Marte nova aguntur. Mors Joannis Nassavii. Induciae duodecennales. Guilielmus Eleonoram Borboniam Bredae de adventu gratulatur. Turbae in Frisia. Guilielmi in Angliam legatio. In Germaniam se confert. Expeditio in Ostfrisiam. Guilielmi infirma valetudo. Conditur Groningae Academia. Guilielmus in Hollandiam excurrit. Redux in Frisiam. Narratio obitus Guilielmi. Exsequiae.

Proditum memoriae est, recuperatae a foederatis Groningae famam longe lateque per omnes Europae

regiones percrebuisse. (1) Nec mirum. Etenim illustris victoria, tam brevi tempore parta, ex qua tanta commoda in Batavos redundabant, qua fractae Hispanicae vires jacebant, non advertere populos non poterat. (2) Veruntamen, ut exteris admirationem, Batavis nominis commendationem ac celebritatem res illa attulit, ita Guilielmo Nassavio vitae felicitatem vere cumulasse dicatur. Non quasi id ille votorum extremum habuerit, ut vindicatae in libertatem civitatis gubernacula ipse teneret, extenderet imperium suum, suas amplificaret fortunas, atque crescentem Mauritii famam cupide aemularetur: haec ambitio in Guilielmum non cadebat, nec consentanea est iis, quae antea saepe de expugnanda Groninga pronunciaverat. Aliud erat, quod longe ipsi gratissimum accidebat, obtinuisse se tandem illud, quod decennio abhinc, qua erat mentis sagacitate, callide futurum conjecerat, atque votis concupiverat assidue. Fuerat Groninga belli arx; nec nisi occupatâ illâ, ab armis quiescere, a continuis cladibus

(1) Emmius, p. 121. Winsemius, l. l.

(2) *Non si possono esprimere gl' applausi d'allegrezza, e d'honore, co'i quali il Conte Mauritio fu ricevuto dagli Ordini Generali, in riconoscimento d'haver' egli con un acquisto di si gran conseguenza tanto accresciuto all' Unione i vantaggi di là dal Rheno.* — Bentivoglio, op. cit. P. III. l. I. p. 394 Cf. Cérisier t. IV. p. 243.

damnisque respirare foederatis licebat. Ex eo igitur tempore quae prospera iis rerum conversio contigerit, exponere deinceps pergemus. Primum autem Guilielmum Gubernatorem Groningae salutemus.

Is postquam, re communiter cum Mauritio et praeclare gestâ, exsultanti civium laetitia exceptus, triumphaverat, statim in meliorem conditionem redigere civitatem, ad certumque ordinem constituere coepit. Qui in Senatu et Vigintiquatuorvirûm consilio fuerant, salvo honore munere abdicarunt; in eorum locum alii substituti, qui Reformatam Religionem profitebantur, et vel exsulaverant per Hispanorum dominatum, vel in civitate quieti habitaverant. Novi Consules creati: omnes omnino magistratus et cives jurejurando foederi Trajectino se obstrinxerunt. Quae invaluerat sensim Romano-Catholica Religio, quaeque civium animos infecerant perversa Jesuitarum studia, valide impugnabantur et radicitus evelli jubebantur. Templa sordibus et imaginibus purgata: ritus et ceremoniae, quae a cultu Protestantium abhorrebant, abrogata. Cetera omnia Gubernatoris curis commendata. Itaque quaecunque hominum pravitas et perversitas induxerant in civitatem, obsolescere paullatim coeperunt; quaecunque ex veteri reipublicae disciplinâ instituta praeclare, moribusque recepta fuerant, ea dudum neglecta instaurabantur.

Quibus in rebus Gubernatoris diligentia satis laudari non potest. (1)

Quum reliquum anni tempus variis negotiis curandis administrandisque exactum esset, initio proximi (1595) Ordinum Senatus legationem Groningam misit, penes quam communis cum Gubernatore in componendis civium et accolarum dissidiis, quae acerbissima antea fuerant, potestas esset. Postquam diu multumque disceptatum inter eos erat, tandem die 7 Februarii constituere placuit, ut civitas Groningana cum accolis una in posterum provincia bimembris esset, uni eidemque Gubernationi subdita. Institueretur octovirorum collegium, quorum par numerus e civitate et accolis eligeretur: his aerarii et rerum bellicarum administratio cum Ecclesiarum redituumque Ecclesiasticorum cura communis permitteretur. Communes quoque conventus, quos indiceret octovirorum collegium, haberentur: aditus ad Ordinum foederatorum consessum utrique provinciae parti pateret; civitati vero dignitatis prior locus assignaretur. Quod Senatus decretum etsi propter juris aequabilitatem accommodatum quam maxime ad excitanda concordiae studia esset, invisum tamen accolis fuit, qui antea peculiarem provinciam pleno jure effecerant.

(1) Winsemius, l. l. Emmius, p. 123. seqq. Reyd, l. l. p. 240. Grotius, l. l. p. 191. Wagenaar, l. l. p. 391.

His ita curatis, de persequendo bello rationes initae, sed exeunte demum m. Junio suscepta a Mauritio expeditio adversus Grollam, quae prospere sine dubio cessisset, nisi Mondragonis, Hispanorum ducis, subitus cum valido agmine adventus obsidione oppidum liberasset. Proficiscentem inde Hispanum insecuti Philippus Nassavius cum duobus fratribus Ernesto et Ludovico, et Ernestus Solmensis, difficillima pugna excipiebantur. Philippus et Solmensis capti diem obierunt: Ludovicus, leviter vulneratus, fugâ se expedivit, Ernestus Nassavius, non accepto vulnere, in manus incidit Hispani, Joannis de Cordua. Commorabatur eo tempore Groningae Guilielmus: quem variis negotiis provinciarumque curis distractum quantopere mortui fratris nuncius afflixerit, unus quisque intelliget, qui mutuum eorum amorem, ex consanguinitate natum armorumque societate corroboratum, mente comprehenderit. Ut vero Ernesti fratris rescivit captivitatem, statim Vervovio, aulae magistro, mandavit, ut decies mille florenis ab hoste illum, si posset, redimeret. Captus pretio Hispanus dimisit (1) Auctor idem proximo anno (1596)

---

(1) Emmius, p. 125. seqq. Reyd, l. XII. p. 257. seqq. Bor, l. XXXII. p. 9. Grotius, l. IV. p. 219. Wagenaar, l. XXXII. p. 424. seqq. Fred. Vervou. *Enige gedenckweerdige Geschiedenissen tot narichtinge der nakomelingen sommarischen wijse beschreven* M. S.

provinciarum incolis fuit, ut, dum Albertus Austriacus (qui in Belgicae imperium Comiti Fontano successerat) bello occupabatur Gallico, tutarentur fines, praesertim Covordium, ne Hispanis ὁρμητήριον esset ad provincias superiores infestandas, valide munirent. Haud displicuit ceteris consilium: at Frisiis optatissimum fuit, quorum maxime intererat, ut locus servaretur. Mandarunt ergo solertissimis artificibus, ut explorato oppidi situ ex ingenio specimina adumbrarent, e quibus sibi optio esset. Veruntamen convenire Frisii cum reliquis provinciis de impendiis primum, deinde de praesidiariorum numero, quos singulae exhibiturae essent, non poterant. Transisalani quoque, qui intra suos fines Covordium situm esse perhibebant, ne muniretur operibus, obstabant; sic enim metum esse, ne omnia perirent ceteris ditionis suae urbibus mercaturae emolumenta. Itaque factum, ut utilissima res sociorum discordiis in damnum patriae impediretur. (1)

Insigni hoc anno Ordines foederati documento probarunt, quantâ non solum benivolentiâ Guilielmum prosequerentur, verum etiam quantam studiis ejus et egregiae erga patriam voluntati fidem haberent. Etenim quem jam duarum provinciarum regimine honestaverunt, eundem die 24 Sextilis *Drenthiae*

(1) Reyd, l. XIII. p. 281. Bor, l. XXXIII. p. 58.

insuper ac *Weddae*, item *Westerwoldiarum* Gubernatorem solenni diplomate renunciarunt. Hoc insigni honore affectus, in patriam tellurem se conferre, et patrem senem visitare in animum induxit. Cui proposito cum obstaret nihil, die 18 Dec. comitante Vervovio Dillenburgam est profectus, quo ineunte proximo anno pervenit, ignotus patri et familiae (viginti enim annos istinc abfuerat). Qui postquam se invicem maximo cum affectu consalutassent, multaque vario sermone secum communicassent, Comes Joannes testamentum conscripsit, ne qua se mortuo numerosae proli controversiarum occasio nasceretur. Die 3 m. Feb. Guilielmus cum Ernesto Casimiro et Ludovico Guntero Dillenburgâ a patre abiit, atque intra tredecim dies incolumis Groningam revertit. (1)

Tantâ rerum civilium mole non obrutus, expeditioni, quam Mauritius parabat, interfuit cum fratribus Ernesto et Ludovico, Comitibus Hohenlojo, Solmensi et Henrico Frederico, primum belli fortunam experturo. Constabat pedestris exercitus septies mille peditibus, mille ducentis equitibus: quadraginta tormenta majora adverso Rheno transvehebantur. Arnhemo profecti, mense Quintili belli duces Alpenam arcem occuparunt, et obsidione Rhenobercam cinxerunt; cuniculi tertiâ nocte ad ducentos quin-

(1) M. S. cit. Winsemius, l. XIX. p. 829. 830.

quinginta ab urbe passus, initio a vallatis castris facto, perducti. Guilielmus, ut solebat, constanter suis aderat fodientibus juxta lunatum hostile munimentum, quod mox supervasit, spretis, quae circumvolabant, a propugnatoribus emissis plumbeis glandibus. Hac ejus audacia, ac, prope dicam, temeritate perterritis Rhenobercanis altera gravior denunciatio fit, extrema instare, neque ullam, si resistant, amplius veniam fore. Desperantes illi promissa Hermanni Bergensis auxilia, qui cum bis mille peditibus et quadringentis equitibus stationem Geldrae habebat, decimo ab obsidionis initio die ad deditionem transierunt. Inde digressi foederati Mursam in Agrippinensi agro intra septem dierum spatium expugnatum eunt, trajectoque Rheno ineunte Septembri Grollam contendunt: qua capta aliae deinceps urbes, Gora, Brefurtum, Enscheda, Othmarsum, Oldensalia, Linga victori exercitui cedunt. Incredibile ex tanto victoriarum cursu per Batavorum regiones gaudium fuit. Rediit mense Novembri Guilielmus Groningam, omnium gratulationibus et acclamationibus exceptus ac triumphum agens. Inde die 22 Decembris profectus Leovardiam, quo praesentem eum provinciae negotia vocabant, ibi quoque exsultanti civium Delegatorumque laetitia et magnifica pompa exceptus. (1)

(1) Emmius, p. 129. seqq. Reyd, l. XIV. p. 310. seqq.

Tam prospero rerum eventu factum erat, ut Frisia, Groninga et Accolae, Drenthia et Tubantes hostibus vacarent. Quocirca in conventibus provincialibus (1598) agi serio coepit de laborum, quos belli duces et Gubernatores permagnos exantlaverant, debitâ remuneratione instituenda. Ac Frisiis quidem, quum praemio ornare Guilielmum statuerent, ac terrae tractus, extra Biltiam recens ex alluvione ortus, necdum aggere ab aquarum vi praeclusus, mille et septingenta jugera amplitudine excedens, ei decerneretur, obstitit adversa factio, dictitans periculosum esse libertati, provinciae partem Gubernatori donari: namque dono illo non contentum, mox plura, universam brevi provinciam appetiturum. Nec vero etiam penes Ordinum legatos soli dividendi distribuendique facultatem esse; populo hoc jus competere, cujus nunc dominia, ut antea Regis, essent. Inventi quoque sunt, qui grati animi testimonium ambitiosae largitionis crimine insectarentur, alii sua ipsorum merita scripto consignabant, facta damnorum mentione, quae pro libertate dimicantes accepissent, petitaque compensatione, si Guilielmi remunerari merita placeret. Attamen cum irritos conatus suos viderent, pru-

---

Van Meteren, l. XIX. p. 444. seqq. Bor, l. XXXIV. p 38. seqq. Grotius, l. VI. p. 290. Winsemius, l. l. p. 838-840. Wagenaar, l. l. p. 468. seqq.

dentissimus ex iis quisque auctor fuit effecitque, ut praemium 36,000 florenorum, quorum summa intra triennium solveretur, offerretur Gubernatori. Patet hinc, quantopere bonorum erga Guilielmum studia et voluntas ab adversariis oppugnarentur. Saepius jam ante, quoties Guilielmus salutari consilio prodesse suis in re trepida conabatur, et acriorem pro malorum vehementia medicinam suadebat, auditae voces erant: *nullo jacturae iste metu nugatur, nil in provincia, quod amittat, habet; si in deterius res ruant, cito se expediet: nobis in patria manendum, nobis grata et adversa aequi bonique facienda.* Praestabat Gelrorum ac Zelandorum sententia, sua Gubernatoribus bona esse debere judicantium, ut haberent illi praeter animi voluntatem, quo provinciae saluti perpetuo adstringerentur. (1)

Delatum hoc anno Belgicae imperium a Philippo Rege in Albertum Austriacum, cui data in matrimonium filia major natu Isabella Clara Eugenia. Profecturus vero in Hispaniam Albertus, substituit in suum locum Andream Austriacum, militiaeque praefecturam Francisco Mendosae mandat. Hic maxima quaeque animo volvens, cum ingenti exercitu

---

(1) Reyd, l. XV. p. 329. Grotius, l. VII. p. 306. Schuitepraatjes, p. 231. seqq.

Mosâ trajectâ, ad Rhenum movet, omnes Transrhenanas regiones longiusque dissitas adventûs terrore percellens. Pacatis in Cliviensi terrâ civitatibus bellum intulit (1): quibus occupatis plerisque, quum invadere Batavorum fines cogitaret, quos propter instituta expeditio fuerat, Mauritius et Guilielmus deductis undique praesidiis validum ei exercitum opposuerunt. Quem reformidans Mendosa, in Monasterienses et Clivienses, profugi magis quam victoris specie, cum numerosis copiis retrogressus est. Depulsâ prudenter hac tam gravi tempestate, cum mensis Novembris inierat, substitit Arnhemi Mauritius; unde mox subito movens Emricam tormentorum vi recuperavit. Guilielmus, magnâ exercitus sui parte in finibus relictâ, cum paucis centuriis in Frisiam rediit, unde exeunte Dec. Groningam pervenit. (2)

Hiemem foederati ob vicinum hostem sollicitam, sed innoxiam egerunt. Initio anni 1599 bipartito belli duces copias diviserunt; partem Mauritius Arnhemi tenebat, ut Cisisalana curaret; partem

---

(1) Huc pertinent duae epistolae, quas scriptas a Guilielmo ad Oldenbarneveldium in libelli calce referemus.

(2) Emmius, p. 132.. Reyd, l. XV. p. 340. seqq. Bor, l. XXXV. p. 37. seqq. Bentivoglio, P. III. l. II. p. 424.

Guilielmus in Drenthia Meppeli, ad Frisiam et Groningam a repentinis incursibus defendendas. Intercursabant autem nuncii, ut motus hostiles celeriter uterque dux edoctus, divisa cogeret agmina. Interim Frisiae et Groningae Gubernator aliis quoque curis obruebatur. Nam cum in Ostfrisia, mortuo Comite Edsardo, filius Enno haud mitius ingenium ostenderet, imo vero subditos gravius, quam fecerat pater, deprimeret, placuit Emdanis, mittere ad Ordines foederatos, qui sibi tria millia militum auxilia deprecarentur. Auctor Guilielmus Ordinibus fuit, ut negarent: qui ipsi quoque ob copiarum paucitatem indulgere supplicibus nullo se posse modo judicabant. Oblatis autem pecuniarum subsidiis, quibus conduceretur miles, sed rejectis, quod minus promtum malis remedium videretur, tandem ex Ordinum voluntate mense Aprili sexcentos milites e Guilielmi ditione acceperunt, et in suburbio collocarunt. Tum seditiosi in urbe, velut si proderentur et diripiendi traderentur, turbare quietem et crepare: invideri suae a Batavis tranquillitati, infeste sibi ab iisdem adimi mercaturam, siquidem ab Hispaniae oris prohiberentur. In summo ergo discrimine quum civitas Emdana versaretur, opportunae afferebantur Guilielmi litterae, quibus palam recitatis deferbuerunt paullisper animi. Qui mirari se dicebat, milites suos, ad arcendum Hispanum missos,

non, ut par esset, amice, sed hostiliter excipi. Abstinerent ab injuriis, neminem laederent, nunciatòque Hispanorum adventu, in urbem praesidium acciperent. Id si recusarent, nullam amplius navem vel portu enavigaturam, vel redituram in eum esse. Neque hoc minatus ille solum, sed exsecutus est statim, ut ostenderet, mari eos a Batavis facilius, quam ab aliis intercludi posse. Biduo tamen post liberum navibus cursum reddidit, quoniam fremere nautas et quingentos ad iter paratos esse intelligebat. Moventi deinde Ennoni cum septingentis militibus ad urbem, Guilielmi epistolae exemplum tradebatur, ut fieret certior, qua ipse existimatione laboraret. Libere enim Guilielmus sententiam dicere coactus, cives Emdanos commonefecerat, cavendum ipsis a Comite Ennone esse, cui commercium cum Hispanis intercedere, ore omnium ferretur. Misit etiam, qui eos adhortaretur, ne quid commutatum irent, magistratui omnem muneris partem salvam praestarent, donec legitima electio obtineret, ne cujusquam offenderent honorem, bonisve insidiarentur, auxilia (quae in navibus prope urbem tenebantur) in suburbium admitterent, quoad Ordinum foederatorum intercessu in gratiam cum Comite rediissent. Responderant illi, nullam se vel in vera religione, vel in civilium rerum administratione mutationem meditari, imo ne velle quidem: facere paratos,

quaecunque praeciperet, militaris dummodo praesidii expertes essent. Tandem hoc quoque sibi receperunt Emdani. Tum Comiti Ennoni per suos mandavit, ut Nobilium Principum exemplum imitaretur, moderate cives gubernaret, caveretque ne intestinarum discordiarum occasione imperium occuparent Hispani. Docuit quoque urbis legatos, id foederatorum Ordinibus propositum esse, ut seditionem civilem vi militum compescerent, et providerent, ne in suos fines transferretur. Ceterum ex animo Ordines optare, ut quietem et libertatem illibatam servantes Emdani, amicitiâ ipsis, Imperio Germanico fide et obtemperantiâ, reverentiâ Ennoni Principi se commendarent. Oportere autem, in posterum cum Principe per magistratus agerent; non enim dubium esse, si illegitimâ populus ratione studia sua urgeret, quod factum paucis abhinc diebus fuerat, quin et pessima quaeque subiret, et obsessorum militum esset similis, qui, praefectorum injussu conditiones cum hoste pacturi, urbe egrederentur. Nec caruit Guilielmi prudentia effectu; namque ex ejus voluntate Comes Enno statim dissidia composuit, coactisque comitiis in ordinem res redigere coepit. (1)

Haec dum in Ostfrisia agebantur, maximis animi

(1) Emmius, p. 137. Reyd, l. XVI. p. 376. seqq. Van

curis Mauritius obsidebatur. Namque et belli ducibus et sociarum provinciarum auxiliis destitutus, solus cum quatuor militum millibus contra hostilem quindecim millium exercitum, et ducem haud spernendum Mendosam, sustinere belli onus debuit. Sed ex iis difficultatibus solertissime se expedivit, nec quicquam temerarii, quod nocere publicae caussae posset, perpetravit. Tum repente Ordines suadere ei et Guilielmo, qui, Emdanis rebus compositis, redux in castra fuit, ut universae rei dimicationi patriae salutem committerent, caussam interponentes, quod exhauriretur belli sumtibus aerarium, novique militum delectus ad experiundam belli fortunam parati essent. Cujus sententiae, ut percepere, satis illi rationem mirari non poterant, memores quam alieni superioribus annis fuissent a bello inferendo Ordines, defendique fines quam hostem adiri maluissent. Actum quidem ipsi plus in agendo quam in resistendo emolumenti esse putaverant: nunc vero timebant patriae, si tam audax expeditio susciperetur, respondebantque Ordinibus, non parem utrinque, acceptâ clade, fortunam fore: caesis hostium exercitibus novos brevi integrosque successuros; at foederato-

Meteren, l. XXI. p. 184. seqq. Bor, l. XXXVI. p. 17. seqq. Grotius, l. VIII. p. 362. seqq. Wiarda. *Ostfriesische Geschichte.* Vol. III. p. 326. seqq.

rum copiae si occidione delerentur, aut clade affi-cerentur minore, metum esse, ne populus animo desponderet, vastaretur ager, exsularet ditissimus quisque mercator, nulla superesset salutis via. Quodsi vero ad confligendum a Mendosa lacesserentur, tum pugnam non detrectaturos, sed fortes se praestare in acie paratos esse.

Haec tametsi ad absterrendos a re ancipite Ordines enunciassent, supererant tamen, qui bellum adeo urgerent, ut Mauritii animum expugnassent, nisi firmiter sententiae suae adhaesisset Guilielmus, certa dubiis anteponens, prudentiae laudator, et a calentibus consiliis aversus semper. At vero quum paullo post Mendosa, praesidio relicto in castello Andreano, ab Andrea Austriaco, qui praesens res curabat, exstructo, in Brabantiam se conjecisset, non defuit occasioni Mauritius: qui confestim ex Vornensi insula Guilielmum Dotocomum cum quinquaginta centuriis, et septem turmis expugnatum mittit. Hic die 13 Sextilis castra ad urbem metatur, et grassantibus imbribus inchoato cuniculorum opere et continuato, intra triduum urbem cum vicino castello Sculenborgio quamquam abundante victu ad deditionem cogit. Unde subito in castra Germanorum, in quibus Hohenlojus, Solmensis aliique de principatu contendebant, tempusque in Resae oppidi, Rheno adjacentis, obsidione tere-

bant, arcessitur, ad componendas lites, instigandos, qui animos despondebant, milites, et optimam expugnationis viam indicandam. Iter jam cogitabat, cum adventare in Batavos Hispanica classis nunciabatur. Quare Mauritius in Zelandiam copias mittit, Guilielmo, ut se conveniat, praecipit. Attamen spe decepti, qui Resam obsidebant, cum pejor in dies exercitus disciplina fieret, excursusque oppidanorum in castra cum successu identidem repeterentur, iterum per legatos Mauritium precati sunt, mitteret cum manu patruelem. Is compertam per certos tristem castrorum conditionem habens, etsi desperaret ex adventu suo salutem fore, de sua auctoritate praesentis dubitaret, vereretur ne, si male res cederet, plus contumeliae quam gratiae inveniret, si succederet, carperetur invidiâ, tamen ob patriae amorem, cui expediebat maxime, ut trans Rhenum redirent Hispani, ex templo cum paucis castra petivit; at vero in itinere certior factus, confusa agmina Emricam properasse, eo tendens, et sordidam exercitus conditionem contentionesque ducum acerbissimas accipiens, temerarium esse statuit, irritum remedium desperatis rebus suae cum famae discrimine afferre velle. (1) Quocirca supp-

(1) *Mandarono le Provincie Unite nel Campo Alemanno il Conte Guglielmo di Nassau, Governatore di Frisa, huomo grave, e di molto valore, e primo cugino del*

peditatis, quae optima poterat, consiliis, ad suos statim rediit. Mox cum Mauritio Gorchemum, quo Hagâ Comitis convenerant Ordines foederati, accitus est. Ibi multa disserebantur de ingentibus sumtibus, quos hic annus absumserat, minuendisque in proximum, de copiis in hiberna statim cogendis, belloque in futuram aestatem gerendo. Sed praematurum censuit de dimittendis copiis consilium Mauritius, auctorque fuit ut aliquamdiu in castris manerent, prospecturae, si quid hostile Mendosa exsequeretur. Ergo, exeunte demum Novembri, postquam exstructa ad Rheni ripas munimenta erant, hiemale otium militibus concessum. Guilielmus die 29 Decembris Leovardiam redux, magnifice a civibus exceptus est, qui in rerum, praestantissime ab ipso gestarum, honorem diu multumque tormentis salutarant. (1)

Eundem vero initio anni 1600 graves molestiae afflixerant. Nam Groningani et accolae, quamvis dissidendi fecisse finem viderentur, tamen dissimulato odio arserant, quod nunc maxime in publicos motus erumpebat. Accedebat civitatis in ne-

Conte Mauritio, affinch' egli procurasse di comporvi in qualche maniera le dissensioni, e di rimettervi qualche miglior disciplina. Ma poco giavarono i suoi maneggi. — Bentivoglio, P. III. l. V. p. 490. cf. Reyd, l. l. p. 379. 385. seqq. Bor, l. XXXVI. p. 35. seqq.

(1) Winsemius, l. l. p. 846.

gandis tributis pertinacia, quae per triennium aerario publico debebantur. Quorum feroces rerumque novarum appetentes spiritus ut domarent, visum Ordinibus fuit immittere urbi praesidium, imponere arcem, cives exarmare. Deferbuerunt animi, mutatisque magistratibus ad quietem redierunt. Tum ortae in Frisia discordiae tantae, ut saluti interitum minarentur, at singulari Guilielmi vigilantia et moderatione feliciter exstinctae. (1) Haec acciderunt, quo tempore Mauritii auspicio in Flandria ad Neoportum confligebatur: victoria ibi reportata magnam belli duci attulit nominis famam, sed foris quam domi celebriorem. (2) Guilielmus proximo anno (1601) a patrueli in consilii societatem vocatus, quum domesticas turbas timeret, convenire eum non audebat, sed per nuncios litterasque suggerere ei consilia non recusans, auctor erat, ut expeditio nova non susciperetur in Flandriam, observarent vero diligenter hostiles motus, ad quos dirigerent belli impetum. Sic quidem ille: contraria Ordinibus placebant, qui, mittente Elisa-

---

(1) Reyd, l. XVII. p. 414. seqq. Van Meteren, l. XXII. p. 331. seqq. Bor, l. XXXVII. p. 7. seqq Grotius, l. IX. p. 386. seqq.

(2) Emmius, p. 154. seqq. Reyd, l. l. p. 425. seqq. Van Meteren, l. l. p. 365. Grotius, l. l. p. 387. Bentivoglio, P. III. l. VI. p. 496. seqq.

betha mense Majo quinque militum millia, quos suis ipsa sibi stipendiis alere recipiebat, si in Flandriam mitterentur, statuerunt, Verium Anglum cum auxiliis et quatuor peditum Batavorum millibus ad expugnanda prope Ostendam munimenta ablegare, Mauritio vero, copias reliquas ducenti, Rhenobercae obsidionem committere. Quamquam Guilielmus, iterum rogatus sententiam, se opposuit iis, ostenditque, quam periculosa res esset, Ordinum vires ita divellere, ut uterque exercitus mutuam sibi praestare opem, si opus esset, non posset: quam verosimile, hostem primum infirmiores copias adorturum, quibus devictis, profligaturum facile validiores. Reputarent, quam inaudita res ageretur, si ea munimenta, a quibus superiore anno victor exercitus discedere coactus fuerat, cum dimidia militum parte aggrederentur. Sibi quidem longe praestare videri, conjunctis copiis Rhenobercam peti; captâ demum eâ Flandriam invadi, aut Hulstam Clusamque ad deditionem sollicitari. Attamen haec persuadere imprudentibus non potuit. (1)

Forte eo tempore Ludovicus Nassavius, Guilielmi frater, Arnhemi nuptias celebrabat. Huc se con-

(1) Emmius, p. 166. seqq. Reyd, l. XVIII. p. 443. seqq. Wagenaar, l. XXXIII. p. 104. seqq.

tulit Mauritius, patruelem eodem arcessens, et curans ut copiae, quae decies mille et ducentis peditibus, ter mille et trecentis equitibus constabant, in oris Mosae Rhenique stationes caperent. Haec ita parabat, ut deceptis Rhenobercanis superveniret. Movet autem castra et considit die 2 Junii ad oppidum: praeclare res utrinque geritur, excurrunt praesidiarii magna vi ac fortitudine, reprimuntur haud minore virtute; tandem quadragesimo quarto die post quam obsideri praesidium coeperat, cedit Mauritio duci. Quum vero ab Alberto Ostenda per trimestre valide obsidebatur, et inde deducere eum Nassavius uterque cupiebant, mense Octobri Silvam Ducis moverunt. In obsidionis speciem militaria opera coepta; sed Ostendâ non discedentibus Albertinis copiis, deduxerunt exercitum Mauritius et Guilielmus, quia infirmior ad tantam civitatem vi expugnandam putabatur. Frisiae Groningaeque Gubernator die 3 Decembris Leovardiam revertebatur. (1)

Quae ex rebus secundis major ac nimia saepe exsistere audacia solet, in Ordinum foederatorum consiliis insignis apparuit. Nam continuatâ ab Alberto Ostendae obsidione, deductas ex hibernis

(1) Reyd, l. l. p. 445. Van Meteren, l. XXIII. p. 42. Winsemius, l. XX. p. 872. Grotius, l. X p. 407.

copias mittere in Brabantiam placuit, ut provincias aliquot Belgicas, urbes saltem nonnullas, ad defectionem sollicitarent, si minus, Ostendanos obsidio liberarent. Intempestivi consilii hujus levitatem docebant Mauritius et Guilielmus, immensas Alberti vires praedicantes, quarum parte in Ostendana obsidione relictâ, ope ceterarum invadentes Brabantiam foederatos commeatu et bellico apparatu omni intercludi ab eo posse. Neque vero credibile esse, tam facile rebelles provincias ab Hispanis abalienari, ut magnis sumtibus expeditionem institui operae pretium esset. (1) Persistunt in proposito Ordines: conflatur exercitus duodeviginti peditum, quinque equitum millium, qui triplice agmine et via Brabantiae fines transgressi, intra quindecim dies ad Tilemontium castra metantur. Ineunte Quintili in urbem se receperat Mendosa, quem variis modis, sed frustra ad pugnam provocare belli duces conati, Graviam, firmis a Parmensi operibus instructam, recesserunt: ibi, circummunitis et circumdatis urbi castris, gravis obsidio institui coepta. Accedens cum exercitu Mendosa et impetum

---

(1) De la Pise p. 698. *Maurice désiroit de faire jeu ailleurs, et n'avoit veine en son corps qui penchat à ceste expédition, secondé de l'advis du Comte Guillaume, vray Prophète des inconvéniens et des rencontres peu favorables qui l'accompagnèrent.*

ferens, referre pedem coactus, tandemque adactâ die 10 Septembris ad deditionem urbe excedere praesidium jussum. Victores domum triumphantes rediere: Guilielmus die 5 Octobris summâ laetitiâ Groningae exceptus. Quo vix reducem, ex Hollandia salutandi gratia convenit Princeps Joachimus Ernestus, Marchio Brandeburgensis. Amice benigneque is hospitio exceptus, postquam triduum commoratus Groningae erat, in Germaniam se recepit. (1)

Tertius obsidionis Ostendanae annus (1604) vertebatur, susceperatque illud opus Ambrosius Spinola, Italus, quum novae expeditionis Ordines foederati auctores Mauritio essent. Laborum hic sibi socium Guilielmum expetivit, et congregari copias cum veteranas tum recens conscriptas adulto mense Aprili Guilielmostadium jussit. Hinc in Zelandiam, et conscensis navibus in regionem Flandriae Catsandam deferuntur. Intererant huic expeditioni praeter Senatum et Ordinum Legatos Henricus Fredericus, Ludovicus Guntherus et Ernestus Casimirus, uterque posterior Guilielmi frater. Paratis necessariis et egressis e navibus copiis, Catsanda subito invaditur. Quae postquam in potes-

(1) Emmius, p. 170. seqq. Grotius, l. XI. p. 421. Winsemius, l. XX. p. 875. M. S. cit.

tatem foederatorum venerat, Ardenburgum et Medioburgum, vacua defensoribus municipia, intrant et praesidiis firmant Mauritiani, mox Clusam tendunt, quae, etsi satis commendationis a loci natura haberet, munitionum soliditate et numeroso praesidio inexpugnabilis credebatur. Huc ubi difficillimo itinere perventum erat, et praesidium paullo ante mille quingentis armatis iteratâ vice ab Alberto creverat, ex insidiis repente foederati interceptum ab hoste commeatum cum captivis multis in munita castra deduxerunt. Jamque victûs inopia Clusani laborabant, quum per accensos in urbe ignes, desperationis indicia, admonitus Albertus, cum septies mille militibus succurrere iis Spinolam juberet. Multis hic frustra tentatis, per noctis tenebras Guilielmi stationem invadere studet. Sed vigil ille cum Anglorum praefecto, qui in eadem castrorum parte tendebat, repressit fortiter vim hostilem, editaque strage alia tentare Spinolam coëgit. Qui recuperatis castellis, quae modo occupaverant Mauritiani, flexit Ostburgum iter, Catsandam invasurus. Vix autem propositum ejus supremus belli dux cognoverat, cum statim patruelem Guilielmum cum Frisiacis cohortibus ad eam oram, qua Spinolae transeundum foret, mitteret. Utrinque consertae fortiter manus: neuter dux ope aut consiliis non adesse suis: conspici Guiliel-

mus, equo per aciem discurrens, micante gladio dextrâ, suos ad praeclara quaeque inflammans, primusque in hostilem exercitum praecipitem se ferens. Interim accursantibus Mauritianis aliisque, tantae vi impar Spinola post acceptam cladem tutiora loca expetivit. Ampla haec victoria, Guilielmi virtute parta (1), postridie (qui dies Sextilis 10 erat) Clusanorum deditione aucta est et cumulata. Potiebantur foederati septuaginta tormentis majoribus, decem triremibus bene instructis, aliisque minoris pretii navibus.

Sed exsultanti huic laetitiae gravissimus brevi dolor successit. Etenim Guilielmi germanus frater, Ludovicus Guntherus, multis nominibus Batavorum dignus civitate Comes, postquam fortiter ad Clusam rem gesserat, morbo gravi implicitus, undetriginta annos natus, die 21 Septembris obiit (2). Clusae expugnationem praecessit Ostendae deditio, cujus auctores Ordines foederati erant. Tanta vi per triennium urbs illa concussa fuerat, ut vix esset

---

(1) Emmius, p. 176. sqq. Grotius, l. XIII. p. 449. Van den Sande, Nederl. Hist. l. III. p. 38. Winsemius, l. XX. p. 880. *Aen welcke couragie ende cloeckheyt van zijn Gen. Graef Wilhelm ende het Vriesche Quartier, de heele sake dies tijdts gehanghen heeft.*

(2) Emmius, p. 182. De obitu vid. Schuitepraatjes, p. 337.

umbra superstes, atque ostensa potius Hispanis quam dedita dici posset (1).

Novam rerum faciem proximus annus (1605) exhibuit. Etenim quum aliquamdiu in Flandria vicinisque regionibus bellum maxima vi et perseverantia gestum esset, derepente ab Hispanis in Transrhenanas regiones, imo vero in extremam foederatorum provinciam Frisiam transferri coepit. Novitatem rei, quae obscura videri possit, redux ex Hispania Spinola explanat. Hic enim cum Philippo III Rege multos per hiemem sermones miscuerat de rebus in futuram aestatem agendis, atque ita ingenii acumine se commendaverat illi, ut Frisiae Gubernatione ornaretur. Haud igitur mirum, si illuc oculos converteret, spe et exspectatione Guilielmo provinciam praeriperet, sibique eum fingeret non modo munere pulsum, sed suo imperio superbiaeque subjectum (2). Sed ab exse-

---

(1) Emmius, l. l. Van den Sande, l. l. Van Meteren, l. XXV. p. 564 sqq. Grotius, l. XIII. p. 452. Wagenaar, l. XXXIV. p. 170. seqq. Giustiniano, *Delle Guerre di Fiandra*, l. I. p. 5. — III. 144. Bentivoglio, Op. Cit. P. III. l. VI. p. 496. — VII. p. 530.

(2) Winsemius, l. XX. p. 880. 882. Giustiniano, Op. Cit. l. III. p. 149. seqq. — *S. M. di Spagna vedendo quant' oblige gli teneva, e conoscendo d'havere de simili huomini grandissimo mancamento, volse farne la stima che meritava, essendo suo solito di premiar con larga mano*

quendo preposito a Mauritio, qui expugnandae Antverpiae rationes inierat, retardatus aliquantisper, Bucojum praefectum eum turmis centuriisque Caesariswertam mittit, ut Rhenum ponte jungat.

---

chi lo serve; ed ancorche havesse eletto per Maestro di Campo Generale ne i Stati di Fiandra Don Agostino Messia, tuttavia provedendolo poi d'altri carichi in Spagna, dichiaro lo Spinola suo Maestro di Campo Generale, e Governatore de tutti gli esserciti che in essi havea, e che per l'avenire vi fossero, assegnandogli dodeci mila scudi di soldo, con autorita di poter castigare, e commandare assolutamente ad ogn'uno, che in quei paesi fosse al suo stipendio, e distribuir i danari, che per mantenimento di quelle guerre provedeva, sodisfacendo parimente à creditori, che à sua richiesta gli havevano accommodato danari, e dandogli l'ordine del Toson d'oro, il quale dovesse ricevere dall' Arciduca Alberto d'Austria. Lo Spinola, ricevuti questi honori, fece con vive ed evidenti ragioni conoscere al Cattholico, ed à suoi ministri, che per ridurre le cose di Fiandra à buon termine, e finir quella guerra, conveniva sostentar almeno due esserciti potenti, atti ogni uno di loro à resistere alle forze nemiche, ed un' armata in mare, e procurar sopra tutto d'arrivar in parte ove i popoli d'Olanda e Zelanda sentissero al vivo il danno, e vedessero il nemico vicino: propose perciò ch'il paese di Frisia era molto à proposito, così per trasportar la guerra in paese totalmente inimico, del qual cavano gli Olandesi grosse contributioni, come per levarla dalle Provincie che possiede l'Arciduca, già molto travagliate ed essauste, essendo medesimamente per quella parte piu facile l'entrata in Olanda. Cf. Bentivoglio, Op. Cit. P. III. l. VII. p. 531.

Brevi cum reliquo agmine eodem ipse contendit, dieque 15 Quintilis celerrimo itinere, relicto cum idoneis copiis ad Rhenum Bucojo, Oldensaliam movet expugnatque. Inde Lingam petit, quae item ad deditionem transit. Neque tamen otiose Nassavii considebant in castris: ad quos ut hostilium motuum fama manavit, excitati statim sunt, divisoque trifariam exercitu, relictis adversus Fredericum Bergensem, qui Spinolae in Flandria locum tenebat, cohortibus aliquot, fratres Henricum Fredericum et Ernestum Casimirum Rhenobercam properare jubent, ipsi Daventriam quam maximis itineribus pergunt. Hinc Lingae subsidio deversuris, ecce! expugnatae urbis, captaeque Oldensaliae nuncius affertur. Ingens inde omnibus terror injectus, diuturnior aliis, brevissimus belli ducibus, qui ad quietem componere militum animos, assiduâ curâ providere munitionibus, firmare praesidiis Covordium, Bortaniam, et Grollam studuerunt. Tum festinare Guilielmus Groningam cum duodeviginti centuriis, sex turmis, afflictae civitati suppetere consilia, obfirmare civium animos, excubiae ut diligenter agerentur, monere. His ita rite paratis, rediit ad patruelem Covordii commorantem, et exspectantem Spinolae adventum, ut fortiter ei resisteret, prohiberetque quominus ulteriora Frisiae loca in-

vaderet. Sed ille Nassavianos milites, ac magis etiam belli duces reformidans, flexit iter et ad Rheni oras consedit. Insecuti eum foederati, ad Vesaliam haud procul ab hoste castra metabantur: cumque res identidem per procursationem esset acta, tandem ex graviori pugna ad Roram flumen discesserunt superiores Nassaviani, etsi haud incruenta iis victoria contingeret. Hîc quoque Guilielmi virtus emicuit. Qui postquam fugatos Mauritii equites animadvertit, maturo consilio peditatui affuit, atque ita hortatu suo confirmavit, ut loco non moveret, et exemplo suo ad officium equites revocaret (1). Ineunte Novembri fessi milites in hiberna missi: Mauritius Hagam Comitis, Groningam Guilielmus redux, uterque gratulationibus suorum honoratus (2).

---

(1) *De viant sich versterckende, viel soo dapper aen, dat die ruijter van sijne Excell. schandtlijcken die vlucht namen, laetende 't voetvolck in grote noot, die haer noch deur 't goedt beleit van Graef Willem met goede ordre salveerden, ende had sijne Exc. genoech te doen, om de ruijters op te houden, doch hielden eijntliken standt met het voetvolck, verwachtende Spinola in slachordnunge, dewelcke alsulcke ordnunge siende, trock weder terugge. 't Heeft mij Graef Willem geschreven, dat dit werck soo periculoos stondt, dat oijck dien dag die staet van de Verenichde Landen aen eene sijden draet hing.* — Vervou. M. S. cit.

(2) Emmius, p. 189. Van den Sande, l. l. p. 59. seqq. Grotius, l. XIV. p. 467. Wagenaar, l. l. p. 186. seqq.

Ex Regis Hispaniae voluntate Spinola alteram in Frisiam expeditionem suscepit. Bipartito signa inferre Batavis statuens, Bucojum in Gelriam misit, ipse per Monasterienses mense Quintili Goram petivit. Fecerat jam immensa impendia expeditioni, quum invia imbribus loca et itinera haud sine stupore et stomacho comperiret. Itaque otio infensus, omisso proposito, die 13 Quintilis Lochemum, quod a trecentis tenebatur, expugnat, et munit. Tum Suollanis et Campensibus supervenire cupiens, reprimitur subito, et Grollam obsidione angit. Deductis propere ex oppidis praesidiis Guilielmum Mauritius arcessit, muniendo Covordio occupatum. Sed ante quam succurrere Grollanis possent, praematuro consilio praesidium cum hoste transegerat. Moleste id illi tulere, sed ne vano suos metu afficerent, novis reparaturos se coeptis fortunam simularunt. Spinola vero nil ibi amplius hostile peregit, et abesse a Frisia jussus, cum Bucojo profectus, cinxit obsidio Rhenobercam, cui ex Mauritii fratris mandato cum quatuordecim centuriis et aliquot turmis Henricus Fredericus se immiserat. Ipse belli dux ad Vesaliam consedit, obsidentes repellere ob copiarum paucitatem non ausus. Postquam praeclare utrinque res diu acta erat, honorificam praesidiarii deditionem die 2 Octobris pepigerunt. Cujus sub mensis exitum recuperatum Lochemum;

erant studiosissimi, ita bellum urgebat maxime Mauritius, nec salutem stabilem foederatis fore ullam existimabat, nisi quae continuando bello et attenuandis Hispanorum viribus pareretur. Diversae sententiae ut quodammodo conciliarentur, placuit inducias octo mensium facere, quibus exactis ex foederatis et Hispanis legati ad deliberationes ineundas coirent. Induciae his legibus convenerunt, ut cum foederatis tanquam populo vere libero, in quem nec Albertus, nec conjux Isabella, neque Hispaniae Rex quicquam juris haberent, institueretur actio, utque idem Rex, procurante Alberto, pactum hoc et quaecunque porro inter partes essent conventura, rata se habere et habiturum, manu signoque suo intra trimestre testaretur, idque testimonium rite signatum foederatis statim exhiberetur, tradereturque (1). Media autem hieme Calendis Februariis (1608) Hispanorum legati, in quibus Ambrosius Spinola, fortis ille belli dux, in Hollandia aderant. E foederatis, qui de pace rationes inirent, septem delecti, ex singulis provinciis singuli, utque dignitate et auctoritate cresceret ille consessus, additi duumviri

(1) Emmius, p. 210. seqq. Van den Sande, l. IV. p. 46. seqq. Van Meteren, p. 225. seqq. Wagenaar, l. XXXV. p. 246. seqq. Cf. Bentivoglio, *Relatione del Trattato della Tregua di Fiandra.*

Guilielmus Ludovicus Nassavius et Walravius Brederodius (1). Cum autem Haga Comitis utrorumque legatis conveniendi sedes esset indicta, Risvicum rhedâ profecti Princeps Mauritius, Henricus Fredericus et Guilielmus Ludovicus, exceperunt illic Hispanicos legatos, et Hagam deduxere. Principi Spinola, Henrico Frederico Mancicidorus, Guilielmo Ricardotus assidebant. Fuerit sane magnificum spectaculum, in mutuis amplexibus haerentes colloquentesque de rebus gestis videre, qui maximi celebrabantur eo tempore belli duces, Mauritium et Spinolam (2). Institutae mox deliberationes de perpetua pace, abruptae fuere, quod nimis alieni ab ea Batavorum animi reperiebantur. Tum de induciis agi coeptum: sed tam iniquae Hispanorum leges proponebantur, ut actio omnis discinderetur, ac regrederentur per Brabantiam in Hispaniam legati d. 1 Oct., quia prorogato saepius induciarum tempore elapso, promissis non

(1) *Le Provincie unite havevano fatta elettione anch' esse de' lor Deputati. N' era stato eletto uno di ciascuna Provincia, e due di sangue molto principale in nome comune di tutte; e questi due erano il Conte Guglielmo di Nassaù, primo cugino del Conte Mauritio, ed il Signore di Brederode.* — Bentivoglio, Op. cit. l II. p. 117.

(2) Van Wijn, *Bijvoegsels op het* IX *D. der Vaderl. Hist. van Wagenaar*, p. 101 Grotius, L. XVI. p. 533.

stare Hispanos liqueret (1). Majore tum vi bellum exarsisset, nisi effecissent Galliae Angliaeque legati, qui, desperatâ pace, inducias urgebant, ut instaurarentur et ad finem perducerentur deliberationes. Quare Antverpiae, ineunte Aprili anni 1609, de induciis in duodecim annos faciendis convenit (2).

Ad hunc finem, sanequam optatissimum Batavis, ut disceptationes perducerentur, multae maximaeque superandae difficultates erant. Ne loquar de *toleranda religione Romano-Catholica*, quam urgebant Hispani, deque *summo principatu concedendo*, quem sibi competere asseverabant, sibique sumebant foederati: quae res in diuturnam controversiam venerunt: Principes Nassavii unicam patriae salutem, eamque perpetuam producendo bello partum iri statuebant. Hanc opinionem, Guilielmo Ludovico tum, cum primum proponi res illa coepit, cum ceteris communem, tollere Oldenbarneveldius conabatur; cujus haud credibile est

---

(1) Litteras, quibus abire legati in Hispaniam a Guilielmo sunt jussi, additamentis adjiciemus.

(2) Emmius, p. 214. seqq. Van den Sande, l. IV. p. 52. seqq. Grotius, l. XVIII. p. 564. Van Meteren, l. XXIX. p. 342. Stijl, p. 298. seqq. Cérisier, V. p. 9. seqq. Wagenaar, l. XXVI. p. 431. seqq. *Négotiations de Jeannin.* Winwood, *Négotiations.* W. Temple, *Observations upon the United Provinces*, p. 77. seqq.

tantum effici eloquentiâ potuisse, nisi habuisset in Francicis legatis Janinum, virum versutiloquum et prudentia politica insignem, qui secum omni ratione et modo idem consequi studeret. Is subdole in Principis et Comitis Guilielmi gratiam se insinuavit, id semper agens, ut qua parte naturâ debilem Mauritium novisset, huic potissimum blandiretur, atque ambitioni praesertim ejus ita serviret, ut immoderata exsisteret. Quo etiam proposito, quamvis adversante Oldenbarneveldio, regiminis formam mutare et Mauritium ad supremam potentiam evehere voluit. Sed res caruit effectu (1). Guilielmus autem simul atque ad Ordinum sententiam adduci se passus erat, talem se Batavorum causae vindicem probavit, qualem maxime res pro incerta, qua provinciae fluctuabant, ratione postulare sibi videbantur (2). Ab altera parte Hispanorum astutiam et fallacias caute evitabat; ab altera, ne cederet Franciae legatis, qui

(1) Cérisier, Op. cit. t. V. p. 78—80. Wagenaar, l. XXXVI. p. 449. seqq.

(2) *Men verwondert sich ten hoochsten over het diepsinnich verstand van Graef Willem Lodowick van Nassau, 't welck nu dagelijcks blijckt, wijl hij mede van de verenichde Landen gecommitteerde, specialijcken versocht ende gebeden is geworden, om die strijdige poincten in dese vredehandeling te helpen verdisputeren.* — M. S. cit.

largitionibus expugnare ejus animum studebant, periculum prudenter evasit, adeo ut iis summa viri integritas admirationem moveret. Novem-viri induciis faciendis a Rege Hispaniae et Archiducibus praemiis sunt ornati. Praeterea Guilielmi Ludovici annuos reditus Ordines duplicarunt, ita ut quinquagies mille florenorum summam efficerent (1).

Vixdum res praecipuâ Guilielmi operâ eo permota erat, et reducem in Frisiam publica oratione magnifice laudaverat ob eximia in patriam merita celebris orator (2), cum tantum abesset, ut justa curarum requie, et molestiarum intercapedine potiretur, ut in deterius versa Frisiae conditio novos labores et curarum moles vix

(1) *Die Koninck van Hispanijen ende d'Aertshertogen hebben onse negen gesanten grote geschenken gegeven, waeraff Graef Willem van Nassau bekomen heeft twije gouden lampetten ende bekens met een gouden gedeckte schael, weerdich sijnde 12000 guldens, ende daerbeneffens noch soo vele tapisserijen totte weerdije van 't vorige. Die verstandigen houden 't daervoor, dat d'onsere die geschencken niet en hadden behoren t'ontvangen van de vianden, maer dattet beter ware geweest, dat men hare moeite hun uijt des landts buijdel belonet hadde.* — M. S. cit. Postrema refutantur verbis Janini. Epist. ad Villaregium 21 Martii 1609. ubi: *les Etats ont aussi doublé les états à Monsieur le Comte Guillaume, qui en tirera prés de* 50000 *livres par an.* Cf. van Wijn, *Bijv. op D.* IX *van Wag.* p. 109.

(2) Orationis hujus in libelli calce mentio fiet.

tolerabiles ipsi imponeret. Gliscentes seditiones, in diesque invalescentes eo tandem eruperunt, ut Calendis Januariis (1610), quando mutari urbani magistratus solebant, factiosi Leovardiani confractis foribus in curiam proruerent, fugatisque magistratibus, e turbulento hominum genere novos crearent. Aberat tum forte in Hollandia Guilielmus, quo, postquam Bredae cum Mauritio aliisque Nassavicis Comitibus Eleonoram Borboniam, quae in has terras ex Principatu Arausiaco cum Philippo Guilielmo ventitabat, officiose salutaverat (1), Reipublicae ac domus Nassaviae caussa sese contulerat. Qui, ubi de intestinis motibus, quibus vexabatur provincia, certior erat factus, veritus, ne per finitimas quasque urbes in ceteramque ditionem malivolorum studia extenderentur, atque omnia susque deque verterentur, Leovardiam illico contendit, ac sapientissimam ad sedandos animos viam iniit. Namque moderate se gerens, increpuit seditionis auctores, edocuitque gravissimis verbis, quanti concordia civium esset facienda hoc praesertim tempore, quo debilitatas diuturno bello reficere vires omni ope esset annitendum. Fecit, ut hos improbitatis poeniteret, ce-

(1) Cf. Van Cappelle, *Filips Willem*, Harlemi. 1828, p. 125.

teri omnes demissis animis esse cessarent, atque optima quaeque spe et industria meditarentur, ac perficere studerent. Monuit praesertim Ordinum legatos, ut cohiberent istiusmodi turbas, si exsisterent, sed ne exsisterent, in posterum providerent, magistratus, munere recens depulsos, placarent: caverent omnino, ne obreperent Hispanici ac Pontificii ad publicos in civitate honores. — Diligentia ejus brevi compositae controversiae sunt (1).

Praeterlapso deinde tempore, quum desideratissimum otium ad emendandam Reipublicae conditionem, et mercatura foederibusque stabiliendas fortunas foederati adhiberent, factum est, ut in Principem Mauritium a Jacobo I, Britanniae Rege, eximii honores, qui amplissimi eo tempore existimabantur, conferrentur. Namque et illum et generum suum, Principem Palatinum, ineunte Februario anni 1613 Ordinis aureae Periscelidis socios coöptavit; Mauritio hoc singulare Regii favoris documentum ferente, ut, quod acceptum ab Elisabetha Henricus IV gestaverat, eodem ipse insigni decoraretur. Solennibus, quae in Anglia peragenda erant, non interfuit Princeps, sed voluit, ut Guilielmus, qui id temporis extraordinariam legationem in Anglia

(1) Emmius, p. 219. seqq. Van den Sande, l. V. p. 57. Wagenaar, l. XXXVII. p. 24. seqq. Cérisier, l. l. p. 133.

obibat, suum locum teneret. Qui sponte, nulla invidia motus, patruelis obtemperavit voluntati, et maximis affectus est in aula Anglica honoribus (1). Interim curavit Britanniae Rex, ut per legatum eodem tempore Mauritio Hagae offerretur cum litteris benivolentiae testimonium.

Brevi post in patriam redux Guilielmus rebus Ecclesiasticis, quae fervere jam coeperunt, se immiscuit, hoc laudabili consilio, ut factiones in mutuam gratiam cogeret, finemque faceret dissensionum. Quae quum perficere tentasset, neque ex voto potuisset, in Germaniam ad res suas administrandas profectus est; unde, auctumno reversus, Marchioni Brandeburgico, imploranti Batavorum auxilia contra Wolfgangum Guilielmum Neoburgicum, cum Mauritio, Henrico Frederico et Ernesto Casimiro praesto cum copiis fuit. Multa jam loca Spinola, quem in suas partes adduxerat Comes Neoburgicus, proximo anno (1614) expugnaverat, et Vesaliam obsidione cinxerat, quum

---

(1) Van den Sande, l. V. p. 66. Cérisier, t. V. p. 180. De la Neuville, *Hist. de Hollande*, t. I. p. 67. seqq. — Cerimoniarum descriptionem in libelli calce faciemus, ut eam prodidit Duchesne, *Hist. d'Anglet.*, l. XXII. p. 1138. seqq. Cff. De la Pise, Op. cit. p 753. seqq. Uytenbogaert, *Kerk. Hist.* D. IV. p. 601., qui affuisse in Angliâ Guilielmum, negligentius tacet.

exercitum decies mille peditum, bis mille et quingentorum equitum eodem Mauritius duceret. Quodsi paullum hic maturasset adventum, ab urbe haud dubio Hispanos repulisset; sed serius adventanti deditio nuntiabatur. Praematurum Principi Vesalianorum consilium visum; Emricam, Resam, aliaque oppida sine magno labore occupatas, praesidiis munivit (1).

At vero Guilielmus, qui hucusque expeditioni interfuit, infirmâ valetudine laborabat. Belli laboribus impar, neque ulterius progredi ausus, lentis itineribus domum se recepit. Extrema haec ei bellica expeditio fuit: nam etsi sanitati mox restitueretur, tamen ante ejus obitum bellum Batavis instauratum non est. Itaque Groningam redux placidam sibi vitam exoptavit, nec tamen profecto talem, quae vitae ante actae non prorsus imaginem referret. Omne otium, quod utilitati publicae accommodatum non esset, respuens, continuam suorum saluti et felicitati operam navavit. Quare cum multa alia instituta apta emendaret, tum novam viam invenit, qua humanitati vitaeque elegantiae consuleret. Quae igitur e bonarum litterarum

(1) Emmius, p. 222. seqq. Van den Sande, l. l. Wagenaar, l. l. p. 76. seqq. De la Neuville, p. 88. seqq. Uytenbogaert, l. l. Baudart, *Memorien*, t. I. l. V. p. 1.

studiis praeclara emolumenta Frisii ceperant, et capere pergebant, augere latiusque ea propagare studuit, atque ex Ordinum voluntate et auctoritate mediâ aestate Groningae condi Academia coepit. De quo celeberrimo instituto, ubi res monebit, pluribus acturi sumus (1).

Haec dum ad plurimorum, ad totius omnino Reipublicae utilitatem peragebantur, iterum accidit ut Gubernatoris animus motibus popularibus vexaretur, ac grata turbaretur quies. Nam Leovardiana civitas, in duas divisa factiones, quarum altera magistratibus illegitime creatis, ipsa seditiosis hominibus constans, favebat, altera iisdem juste adversabatur, quod plus aequo sibi arrogarent, publicis tumultibus laborabat. Ordines in tempore opprimere mala studentes, Gubernatori, Legatis, et Supremae curiae mandarunt, ut rebus prospicerent, et quod sibi fieri placeret, exsequerentur. His, postquam communiter deliberassent, novam ordinandae civitatis rationem constituere visum est; quod aegerrime ferentes magistratus questi sunt

---

(1) Baudart, l. VI. p. 23. Wagenaar, l. l. p. 80. Emmius, p. 230. Acta Secul. Acad. Gron. in oratione Cl. Muntinghe a. 1814. p. 43. Collot d'Escury, *Hollands roem*, t. IV. p. I. p. 220. Tegenw. staat van Groningen. Effigies et vitae Proff. Acad. Gron. et Oml., Gron. 1654. in praefixa narratione.

apud foederatos Ordines. Attamen irrita eorum opera fuit, sensimque curante Guilielmo ad tranquillitatem res redierunt (1).

Proximum ille tempus plurimum provinciarum commodis impendit. Contentiones quoque Ecclesiasticas ad finem perducere studuit, qua in re si eadem semper, qua postea, moderatione esset versatus, plus fortassis profecisset. Sed ardor ille, etsi noxius esset caussae, quam sedulo propugnabat, tamen ideo minus culpandus illa praesertim aetate, qua universi insano fere furore corripiebantur, et in extrema ruebant. Sic quidem quum unus in paucis Guilielmus vario officiorum generi pergeret vacare, abfuissetque per decem menses in Hollandia, ut patruelem Mauritium consiliis praesentem adjuvaret, absentem exciperet, subito cessare ab optimis studiis coactus est. Namque die 12 Maji (1620), Leovardiam reversus, factum ut, postquam festivis urbanisque sermonibus in convi-

(1) *Uit welcke saken also nootwendich soude moeten ontstaen confusie ende oproer, ende diensvolghens bij velen de vreese was, dat dese handelinghen wel mochten aflopen in bloedtstortinghe, heeft sijn G. Graef Wilhelm, alle vlijt ende neerstigheijt aangewent, de voorbereijdinghe te maken, ende den wegh te banen tot vrede ende Enigheijt, midtsgaders tot instellinge van eenen nieuwen Raedt.* enz. — Winsemius, l. XX. p. 899. Cff. Cérisier, p. 189. seqq. Emmius, p. 226. Wagenaar, l. l. p. 88. Van Wijn, *Bijv. op D.* X. *van Wag.*, p 46, 47.

vio cum amicis et militum praefectis animum exhilarasset, horasque fefellisset, in suum se conclave conferret, scribendis litteris vacaturus. Scribebat forte ad patruelem, quaerebatque ex eo, si quid humani ei ex inopinato accideret, quid factu optimum atque e republica foret. In perscribenda epistola occupatum, praesente scriba a secretis, animo, ut videtur, commoto et de futuris anxio, corripuit eum repentina ἀποπληξία, quae post aliquot horas in ἡμιπληγίαν conversa, libera privabat loquendi facultate (1). Continuo in lectum asportatus; magnam sui sollicitudinem adstantibus injecit; vitae tamen spe non exciderunt, siquidem paucis post diebus, recuperato linguae usu, latus, quod obtorpuerat, mobile rursus fieret (2).

(1) *Nous sommes en danger ici de faire une grande perte par la mort du Comte Guillaume, qui eut une attaque d'Apoplexie, Samedi au soir, et avait perdu la parole, qu'il n'avait pas encore recouvrée lundi matin, quand les dernières nouvelles vinrent de Lewarde. Lorsque les Etats de Frise vinrent le visiter, il ne put répondre autre chose que* oui *et* non. *Je vous envoie la dernière lettre, que j'ai reçue de lui, comme digne d'être lue par sa Majesté* (Jacques I), *à cause du zèle qu'il y montre pour la conservation du Palatinat. Je souhaite, qu'il ne se trouve pas, que ce soit* cygnea cantio. Lettre de Carleton à Naunton du 19 May 1620. (Lettres, Mémoires et Négociations du Chev. Carleton, t. III. p. 309.)

(2) *Le Comte Guillaume a recouvré la parole, et quelque sentiment du côté qui était principalement attaqué,*

Vires autem corporis et ingenii in dies magis debilitabantur; ipse etiam abesse se non procul a vitae fine intelligebat. Tum arcessivit provinciarum proceres praecipuos, iisque et adstanti Ernesto Casimiro fratri balbutiens Reipublicae curam apprime commendavit, porrectâ singulis dextrâ, quasi postremum valedicens, et jamjam evasurus. Nec vero diu in vivis fuit: nam quum medici omnia atque extrema tentassent, quae si non vitam, at aliquam vitae umbram sustentare valerent, sed remedia morbi vis superaret, die 31 Maji, sexagesimum primum vitae annum agens, animam efflavit, postquam paullo ante haec verba exili voce et suspirans iteraverat: *Domine Jesu, miserere mei!* (1)

---

ses médecins espèrent, qu'il pourra vivre, quoiqu'ils doutent qu'il reprenne jamais ses forces. Lettre du même au même. 23 May. Ibid. p. 318.

Il y a peu d'espérance que le Comte recouvre entièrement ses forces soit du corps, soit de l'esprit, à cause de son âge, et des autres circonstances outre sa principale maladie, qui cependant continue à diminuer, à ce que disent ses médecins. Lettre du même au même. 7 Juin. p. 321.

(1) *Le Comte Guillaume est mort le 19 jour de sa maladie, dans le tems que ceux, qui étaient autour de lui, se promettaient le plus sa guérison. Sa lettre que je vous envoyai avec ma dépêche précédente, est la dernière qu'il a écrite; comme c'est sermo morientis, et d'un homme aussi sage et aussi expérimenté, elle mérite*

Exsequias ejus magnificentissimas ingens et popularium et finitimorum propinquorumque corona prosequebatur, tanta illa, ut parem hominum multitudinem Leovardia, ex quo condita esse coepit, nunquam complexa esse feratur. Pompae funebris longus ordo: feretrum a cohortium praefectis et viris nobilibus sex et triginta numero gestatum. Sequebantur funus Ernestus Casimirus, Joannes Ludovicus, ejusque filius Joannes Mauritius, Justinus Nassavius, aliorum Illustrium Principum patruelium, cognatorum, affinium, Ordinum deinceps foederatorum, Senatûsque legatorum lugubris caterva. Ultimi in pompa fuere, qui in tribus defuncti provinciis rem publicam et provincialia munera gerebant, quos exceperunt utriusque Academiae Professores delecti. Cadaver magna cura conditum Leovardiae in fano Jacobeo, Annae conjugis reliquiis appositum est. Tegebatur sepulcrali monumento, magnifice e marmore exstructo; cui in mortui honorem statua ex albo marmore artificiose confecta imponebatur, in pulvinari genua flectens, galeata, et manicis aliisque insignibus ornata. A dextra Constantiam, a sinistra Prudentiam habuit, stantem utramque virginem, hanc

---

d'autant plus d'attention. Le même au même, 12 Juin. Ibid. p. 332.

corrugato serpente insignem. Quae quidem omnia, excepta viri effigie, quae egregie picta in curia Leovardiana exstat, non temporis injuriâ conciderunt, sed libidine hominum disjecta sunt; ipsius memoriam nec aetas unquam nec humana ferocitas deletura est (1).

Hunc habuit vitae finem Guilielmus Ludovicus Nassavius, de quo vere licet praedicare, omnes eum bonos, dum viveret, amore atque admiratione, cum mortuus esset, desiderio prosecutos esse.

---

(1) Emmius, p. 240. seqq. Van den Sande, l. VI. p. 87. Aitzema, *Vredehandeling der vereen. Nederl.*, t. I. p. 3. Winsemius, l. XX. p. 902. seqq. Wagenaar, l. XL. p. 407. Cérisier, l. l. p. 368. 416. Ulr. Huberus, *Hist. Civ.* P. II. l. II. Sect. III. p. 427, 428. Baudart. t. II. l. XII. p. 57. Kok, *Vaderl. Woord.* t. XXXII. p. 197. Van Leeuwen, Op. Cit. p. 464. De la Neuville, Op. Cit. p. 200. Scheltema, *Staatk. Nederl.* t. II. J. van den Bosch, *de Heeren Stadhouderen van Vriesland*, p. 22. seqq. Tegenw. staat van Friesland, II. D. p. 141. IV. p. 74. Van Kampen, *Karakterkunde* I. p. 490. J. Starter, *Lijk-klaght over den Hooch Welgeb. Heere Wilhelm Ludwich. Franeker* 1620. J. Schrader, *Panegyricum carmen Guilielmo Ludovico*, Carm. V. F. Halma. *Tooneel der Nederl.* t. II. voce: Willem Lodewijk. — Ger. Nic. Heerkens *Icon Guil. Lud. Nassavii* Icones. Parisiis 1788. — Nederl. Stemmen. D. II. n° 6. p. 36.

GUILIELMI LUDOVICI

INGENIUM ET MORES.

In enarranda Guilielmi Ludovici vita singularem viri prudentiam animique magnitudinem admirari juvabat. Verumtamen ut suo nobis pretio virtutes ejus ingeniique laudes habeantur, acriore quodam judicio opus est. Exprimenda nobis et velut repraesentanda animi ejus imago, ut evidentissime pateat, qualem se domi militiaeque, in rebus publicis privatisque, in re domestica pariter et familiari praestiterit, quidque caussae sit habendum, ut illius inter nobilissimos aequales nominis fama non obscura jacuerit.

Haud mediocris ingenii virum Guilielmum neque ex vulgari hominum genere futurum, jam tum divinare nobis licuit, quum traditum in Arausionensis disciplinam, huic eximie se commendasse et placuisse dicebamus (1). Tali enim judice, quis est

(1) Supra p. 15.

qui in errorem abduci se posse vereatur? Neque vero quae de eodem, quum proveheretur aetas, ingeniique vires invalescerent et explicarentur, retulimus, spem nostram et exspectationem fefellerunt. Aequabilis quidam fuit vitae tenor, aequabiliter per omnes ejus partes diffusi acerrimi justi bonique sensus, et patriae amor singularis. Qua quum utraque laude excelluerit, nec commiserit per totam vitam, ut in alterius detrimentum cumulatius alteram ornaret, sed ad commune bonum ambas consociaverit semper, difficile videatur, sic viri memoriam prosequi, ut, qua singulari patriam, quaque justitiam coluerit caritate, sigillatim exponamus. Age vero, vitae curriculum persequamur, et siquidem militiae studium, quod cum gente sua Nassavica commune habuit, tam feliciter excoluit, ut non patriae duntaxat, verum exterarum gentium commoda egregie provexerit, ex hoc potissimum amorem patriae ducamus. Quae vero justitiae in eo vis et efficacia fuerit, provinciarum administrandarum ratio nos optime docebit.

Haud mirum, si dubiis istis temporibus, quibus pulsata gravissimis tempestatibus Respublica fuit, militiae summus quisque et infimus profiteretur nomen. Fuere, quibus eximia voluntas adesset, sed deficerent vires et fortuna: permulti, qui his valerent, illâ essent destituti. Guilielmo Nassavio

neque animus neque facultates deërant, ut vere bellum ingenii ejus theatrum dicatur. Quibus interfuit ille, expeditiones satis superque explorantibus nobis declaraverunt, quanto studio provehere patriae salutem, quam optimis semper rationibus uti conatus sit (1). Eas hic iterare subtiliusque dijudicare non opus est, ac requireret militarem peritiam: praestat referre ea, in quibus ingenii acumen peculiari quadam ratione probavit.

Dicere me supra (2) memini, quae essent orationis capita, quam ille ineunte anno 1590 in Ordinum foederatorum concilio habuit. Digna autem videtur, quae hic tota apponatur. Hoc illi fuit dicendi exordium: » Reipublicae nos- » trae, Nobilissimi Viri, conditio me monet, ut » certiores vos faciam, postulare tempus, ut trans » Rhenum et Mosam fugentur Hispani, et regio

(1) Hoc et universe verum est, neque exceptioni dari locus videtur, referente Grotio, anno 1593 in obsidione Covordiana Guilielmum, *si quis ad se transiret, praemia pollicitum esse.* Id, si praesidiariis Hispanicis conveniret, reprobandum, parum certe generosum ac decorum videretur. Sed docet loci ratio, Gubernatorem praemiorum spe allicere ad sua castra studuisse obsessos Covordii cives, Batavis faventes, quod fieri honeste poterat. — Hist. l. III. p. 180.

(2) p. 70.

» illa omnis, quae ab iis fluminibus Orientem
» spectat, ex belli faucibus eripiatur. Neque haec
» sine gravi caussa loquor. Fractae enim Regis
» Hispaniae vires, ex quo profligata et submersa
» immensa ejus classis est. Exhauriuntur, quae
» tantae illi cladi superfuerunt, opes ingentibus
» sumtibus, quos expeditio Gallica poscit. Ortae
» inter Parmensem et Hispanicos ejus consiliarios
» discordiae maximae: controversiis dissociatae na-
» tiones, exercitus rebelles et disciplinae impatien-
» tes, summa denique imis mixta. Ex hoc turbu-
» lento rerum statu exspectanda hosti universa for-
» tunae conversio videtur. Quocirca nobis non est
» committendum, ut pereat tam fausta opportu-
» nitas, quam neglexisse et nosmet deinceps poe-
» niteat, neque posteri nobis ignoscant facile. Ne-
» que vero, quum sapienter dici soleat, hostes
» parvi non esse habendos, majores iccirco nobis,
» quam reapse sunt, ac terribiliores fingere par
» est, aut despondere animos, metuentes ne inu-
» sitata aggrediamur. Quasi vero nefas sit putan-
» dum, nostris nos viribus, quas nobis idoneas
» Deus largitus est, audacter confidere. Haud ita
» profecto statuendum: considerandae res, ut se
» re vera habent, cogitatione neque augendae, ne-
» que diminuendae. Viginti millia militum foe-
» deratorum stipendia merentur: horum dimidia

» fere pars, omni fraude sublatâ, educi in aciem
» belli cum mille quingentis equis potest. Nec
» dubium, si recte ordinata vis illa militum, opti-
» mis itineribus progressa, fluminum egregias com-
» moditates usurpet, certasque commeatuum ad-
» vectiones sibi curet, quin facile civitates flumi-
» nibus adjacentes, Daventriam et Zutphaniam Isa-
» lae, Noviomagum Vahali, Graviam, Venloam et
» Rurimundam Mosae, Groningam quoque tandem,
» excitatis castellis adductisque cuniculis, omnia pru-
» dentiae, nihil fortunae committentes, foederati ad
» incitas redigant et expugnent. Haesitabit Parmen-
» sis, nescius unde laborantibus civitatibus opitu-
» letur, et obsidiis eas liberet. Occupatis autem
» illis, mediterranea oppida, commeatu et necessariis
» privata, victoribus sponte cedent. Praeter Gro-
» ningam nulla ex memoratis civitatibus est, quae
» ita abundet commeatu, ut rite circumventa ope-
» ribus, bimestrem obsidionem sustineat. His tan-
» tis emolumentis ut potiamur, praecipuum est, ut
» largitionibus milites ad belli labores incitentur, et
» haec iis opinio prorsus auferatur, indecorum et
» servile fodiendi vallandique opus esse; qua sub-
» lata, videbitis, quam prospere bellum foederatis
» sit cessurum. Pugnandi nullus nobis metus erit,
» modo locorum fluminumque commoda diligenter
» copiae custodiant, nec penuriae commeatus pe-

» riculum: continuabuntur obsidiones, aut si sol-
» vere eas oporteat, tuta reliqua ab hostium im-
» petu erunt. Jam vero animadvertite, quaeso,
» quamprimum Rheni Mosaeque orae exemtae bel-
» lo erunt, quam laeta nobis omnia, quam secu-
» ra, quam amplificati fines imperii, quam mu-
» niti fluminum praesidiis. Sic quidem hosti per-
» multae ad excogitandas et perpetrandas belli artes
» adimentur occasiones: sic accidet, ut melius
» validiusque ex his regionibus pellatur, quando-
» quidem ex mea provincia sola praesto erunt
» tria militum millia ad militandum in Brabantia
» et Transmosanis regionibus, ubi nimis infir-
» mae foederatorum copiae sunt ad res majores
» agendas. Quapropter, Nobilissimi Viri, auctor
» vobis sum, ut audax propositum exsequamini, in
» proximam autem aestatem necessariis quibusque
» ad expeditionem paratis, Divini Numinis auspiciis
» tam utile bellum exordiamini. A Groningae ob-
» sidione fiat initium: nam sive commoda specta-
» mus, Groninganâ civitate nulla opulentior, nulla
» validior, nulla nobilior a Mosae oriente ab hos-
» te tenetur. Ampla recuperatâ illâ foederatis tri-
» buta erunt, vacui bello Frisii et Accolae. Ex
» istis provinciis, quibus egregia maris opportuni-
» tas, et vicinae paludes favent, ubi expulsus
» hostis erit, nil amplius periculi, ne earum pos-

» sessionem iterum hostes invadant et occupent; » nam defendi aeque firmiter, atque Hollandia » et Zelandia possunt. Sive obsidii labores ad- » vertimus, petenda Groninga videtur, quod » nusquam copiae commodius recreari commeatu, » cuniculis abscondi, perruptis aggeribus e repen- » tino periculo evadere incolumes possunt: imo » vero confectum dimidium opus dicatur, siqui- » dem vicina urbi castella et munimenta in nostram » potestatem pervenerint. Neque ingrata civibus ad- » ventûs nostri fama accidet, quos graviter prae- » sentis suae conditionis pertaesum est, ut turbas » concitent, diffidant Verdugoni, adversus illum » magis quam adversus nos se tueantur, metuentes » ne clam urbi praesidium immittat. Seu tandem » periculorum ratio habetur, Groningensis expe- » ditio omnium tutissima est, quoniam maximo in- » tervallo sejuncta ab hoste regio illa, minimum ab » Hispanicis auxiliis periculi praebet. Ob gravissimas » has rationes absit a vobis omnis cunctatio, me » quidem non consilii tantum auctorem, sed beni- » volum adjutorem in re efficienda habebitis. Con- » fido autem, propitio Deo rem prospere cessuram, » nec habiturum me quod pudeat, plura coram » vobis verbis jactasse quam re praestitisse." (1)

---

(1) Reyd, l. VIII. p. 160, 161. Ulr Huberus, *Hist.*

Haec postquam in Ordinum consessu prolixius ideo locutus erat, quod verebatur, ne parum efficax oratio ad movendos eorum animos esset, quibus

---

Civ. P. II. l. II. Sect. 2. c. 7. p. 364. sic exponit: *Wilhelmus Ludovicus auctor erat belli, quod adhuc defensivum fuerat, in offensivum convertendi, finesque imperii proferendi: quod optimates diu probare non potuerant; satius existimantes, munire possessiones suas, levare tributis populos, rei maritimae et commerciis operam navare, quam se casibus belli exponere accersitis, et conari fines immensis proferre sumptibus, quorum acquisitio, licet victoriosa, tanti non foret, ut se ipsam tueri posset. Nec posteris defuere temporibus, qui Hollandiae saltem respectu, divinum hoc consilium vocantes, ejus mutationem magno redemptam voluissent, quatenus jam foederati ad conquaestus mercatoriis populis inutiles et onera contributionum immania vereque intoleranda, nisi voluntaria essent, paulatim adducti atque ita iis sunt impliciti, ut nullus earum, nisi in ultimo interitu, finis sperari queat. Eo tempore facile se tuebantur* XVII *peditum et tribus equitum millibus, quae finibus prolatis consequenter augeri potuit et aucta sunt. Quodsi Hollandiae undique mari et fluminibus cinctae dorsum terrestre satis arcte patens, urbesque singulas valide munivissent, longe minore mercenariorum manu securitati potuisse consuli jam tum prudentes aliqui ratiocinabantur. Abripuit ipsos optimates in alia omnia ardor Mauritii et militarium, tum occasio pulcherrima submovendi Hispanos Gallicis tumultibus implicitos.* — Falli virum doct., optimatium sententiam laudantem, et Guilielmi rationes et rerum exitus facile evincunt. Mirum tamen, haec statuentem, pulcherrimam fuisse submovendi Hispanos occasionem perhibuisse.

placere alia omnia intelligebat, tamen, quod voluit, statim non assecutus est. Surgebant enim, qui avertendam belli vim, non inferendam hosti censerent, non oportere dicentes, ut expergefieret dormiens canis: concesso ab hoste otio nil posse optatius foederatis esse, ut exstruerentur castella, reficerentur quaecunque bellum corrupisset. Prudentiores quidem viri demonstrabant universe, ineptum esse otio in castris diffluere, dum aliis bellis hostes distinerentur, et exspectare quoad, rebus bene gestis, cum victore exercitu et duplo majoribus viribus omnia flammâ ferroque devastatum irrumperent: foederatos vero perinde facere, ac si quis in singulari certamine adversarii impetum avertere studeret, ferenti impetum cederet, facientemque sui potestatem aggredi vereretur. Neque haec illi abs re dicebant: Guilielmus vero et multo ante ita saepe locutus fuerat, neque id in praesentia suasit modo, verum etiam, qua posset optima ratione effici, indicavit.

Solerter perpenderat rationes, quibus fretus rem commendaret Ordinibus, quae ut inusitata illis temporibus erat, ita plerosque non offendere non poterat. Quo nobis admirabilior ingenii vis ejus et dicendi libertas esse debet. Quodsi quaerimus, quis rerum eventus fuerit, postquam discessum in ejus sententiam proximis annis est, superavit om-

nium opinionem, et ea omnino experti sunt foederati, quae ad magnam reipublicae felicitatem fidenter Guilielmus et perspicue exposuerat. Vere Sallustianum illud volvisse animo videtur: *priusquam incipias, consulto; et ubi consulueris, mature facto opus est. Utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.* (1).

Sed *prudentiae* idem *laudator* Guilielmus, *et calentibus semper consiliis aversus* (2). Plura nobis rei indicia in describenda viri vita obvenerunt; nullis laboribus et aerumnis parcere solebat, si qua excogitasset, quae, etsi factu difficillima, provectura patriae salutem videbantur, sed ita tamen in rebus agendis versabatur, ut nihil vel ipse aggrederetur, vel, ut aggrederentur alii, suaderet, nisi expeditam viam muniisset. Maxime aversabatur praepropera consilia, unde, si succederent, plus gloriae quam emolumenti Batavi consequerentur. Lente omnino ad provehendam gentis suae salutem et libertatem festinabat. Itaque, quum insueto victoriarum cursu elati, Hollandiae Zelandiaeque Ordines (1600) Dunkerkanam expeditionem statuerent, essentque permulti, qui inconstantiam eorum mirarentur, quod, ut antea a majoribus ausis

(1) Bellum Catilin. C. I.
(2) Grotius, l. VIII. p. 367.

belli duces prohibuerant, ita nunc ad appetendas non domesticas tantum, verum transmarinas victorias adhortarentur, sed inveniretur nemo, qui pro patriae salute verba faceret, exstitit Guilielmus Nassavius, intempestivi consilii aspernator. Probe tenebat, fieri id sine invidiae gravisque offensae periculo non posse: tamen reticere nolebat, quae conjuncta esse cum salute publica existimabat: idemque utilia nec grata, quam accepta et perniciosa dicere malebat. Haec igitur Ordinibus foederatis concinne exposuit:

» Haud magna, Viri Nobilissimi, occupandae » Dunkerkae, quamvis exili praesidio teneatur, spes » mihi esse videtur. Namque fieri plurimum solet, » ut istiusmodi temerarii conatus, interveniente vel » levissimo negotio, quod providere mens humana » non potest, eludantur. Praeterquam enim quod » subitae tempestates, ventique adversi retardare » navigantes possunt, verendum est, ne Albertus » Austriacus Dunkerkanos integro praesidio ceteris» que necessariis prius instruxerit, quam foedera» torum exercitus cum equitatu exscenderit. Non » dubium est, quin rebelles Hispanici milites » vel naturali ferocia, vel propositis praemiis, vel » genio ut indulgeant in fertilissimis Flandriae » agris, vel largae remunerationis spe post con» fectos labores, occasioni oblatae inhient. De

» hac famelica turba facilem foederatis victoriam
» futuram, nolite credere, etiamsi equitatu illis
» praestemus; nam nostris longe Albertinae pedes-
» tres copiae antecellunt, quibus adeo non opus
» est, ut universa proelii dimicatione rerum even-
» tum dirimant, ut omnem vicinam regionem cum
» fluminibus et oppidis in potestate habentes, im-
» motis castris intercludere commeatu copias nos-
» tras possint. Neque vero credere absurdum est,
» idem quod ante Mauritio; quum Dunkerkam me-
» ditaretur, accidit, nostris eventurum, ut clauso
» Neoportano canali praecidatur ad Ostendam iter.
» Hujus si evitandae difficultatis causâ malitis Neo-
» portum prius expugnare, accidet, ut Dunkerkanis
» idoneae opes suppeditentur. Occupatum Neo-
» portum necessario defendendum praesidio erit,
» et plus impendii requiret, quam praestabit emo-
» lumenti, si quidem, vicinis oppidis et castellis
» Alberto parentibus, praedae per Flandriam fa-
» ciendae nullus locus erit. Sed missis his omni-
» bus, quae recensui, impedimentis, etiamsi pri-
» mo impetu Dunkerka capiatur, nonne tamen
» verosimile est, multo levius hostibus fore recu-
» perandae negotium, quam superiore anno ca-
» piendae Bommeliae Mendosae, si vel maxime
» frui is opportunitate scivisset? Quocirca, mihi
» credite, breve erit ex victoria gaudium, ex uni-

» versa clade reipublicae excidium exspectandum.
» Consilium cepistis non inconsideratius solum,
» sed tam inauditum, ut ex sapientium belloque
» exercitatorum ingeniis profectum vix credi pos-
» sit. Quodsi Dunkerka, (nam difficillimi subinde
» conatus facillime perficiuntur) vel hostium ne-
» gligentiâ, vel singulari Dei (fundat ille utinam
» hostem!) beneficio arcanoque consilio, redacta in
» nostram potestatem vindicetur nobis, consilii ta-
» men auctoribus justa manebit opprobrii ignomi-
» niaeque caussa, quod patriae fortunas in discri-
» men vocaverint. Praestare equidem arbitror,
» Clusam castra moveri, in qua obsidenda et cum
» minore sollicitudine et validiore ratione versa-
» bimur. Eam ubi ceperimus, nullus erit amit-
» tendae metus: non ibi requiretur equitatus,
» qui populabundus per Brabantiam divagabitur:
» hostiles equitum turmas castellis cuniculisque ar-
» cebimus, navibusque Hispanorum actuariis po-
» tiemur, tutam Zelandiam praestabimus; quin
» majorem inde quam ex Dunkerkana expeditione
» gloriam comparabimus. Sin fortunâ decipiemur,
» tutum refugium Nyerhavia erit, quam munire
» sub hostium conspectu licebit. Hoc quoque
» commodi inde percipietur, ut in foecundissimum
» Flandriae tractum bellum transferatur, suasque
» Albertus provincias, ex quibus plurimum lucra-

» tur, corrumpere cogatur, demtâ Axellae vicinis-
» que oppidis nocendi facultate." (1).

Vel fallor equidem, vel unusquisque perlecta hac Guilielmi oratione fatebitur, egregia eum Ordinibus suasisse. Fuit profecto, ut Thucydideum illud de Themistocle usurpem, *τῶν μὲν παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής* (2). Quae de expeditionis periculis ille praedixerat in Ordinum conventu, usu venerunt, neque emersis-

(1) Reyd, l. XVII. p. 424, 425. Cf. De la Pise, p. 679, 680. haec addens: *Tant de raisons d'un jugement solide, et dont la moindre valoit bien le temps d'y bien penser, ne peurent desmouvoir les Estats Generaux de ce qu'ils avoient en teste : ils s'estoient fantasiés de venir à bout de tout ce qu'ils entreprendroient sous la conduite de Maurice, et que rien ne leur sçauroit tourner à contre-sens après une suite de tant de prospérités. Ils pressent de tant plus le Prince de se haster, offrent argent, tout ce qu'il désireroit pour son armée, et le conjurent d'empoigner l'occasion de la diversion des Ennemis. Maurice par une sage attrempence, ne se montre ni trop ardent, ni trop froid à la résolution de ceste expedition; et bien qu'il luy importat plus qu'à tout autre, si ne voulut il pas faire cognoistre son inclination, qui alloit par effect à celle du Comte Guillaume, se soumettant sagement à l'exécution de tout ce qui seroit arresté, sans se vouloir charger du succès d'une entreprinse qu'il faysoit cognoistre très-périlleuse.* Cf. Bosscha, Neêrlands Heldend. te land. p. 341. seqq.

(2) L. I. c. 138.

set e malis exercitus, nisi singularis animi praesentia Mauritio duci affuisset (1). Ceterum patuit nobis, intrepidum, constantem, alacrem, magnanimum, diffidentem fortunae, rationi obtemperantem, solertem belli ducem Guilielmum fuisse (2). Quodsi idem in adeundis periculis suae ipse minus, quam suorum saluti vitaeque consuluit, vitium hoc fortassis in duce putandum est, quamquam id cum optimis omnis aevi Imperatoribus commune habuit; veruntamen in aestimanda ejus fortitudine ac bellica virtute, excusabitur potius, quam reprehendetur.

---

(1) Reyd, l. l. p. 432. Cf. Ulr. Hub. Op cit. c. 13. p. 571, qui, *mirum est*, inquit, *tam excellentem victoriam nullum nisi gloriae peperisse fructum; Albertus enim tantam adhibuit diligentiam, et Mauritius tot adversa coeli solique habuit, ut nullâ re gestâ, exercitum quasi victum iisdem quibus venerat, navibus avehere coactus fuerit, mirantibus vanitatem consilii sui optimatibus, quod nec victores eorum, quae re dubia conceperant, quicquam efficere possent, omnisque populus et miles non minori honore quam laetitia rei gestae memoriam repetebat.*

(2) *In zaken van oorlog en vrede beide was hij een uitmuntend Vorst: want in 't eerste geval behoefde hij niets aan Maurits toe te geven, en aan zijn wijs beleid zijn wij de verdrijving der Spanjaarden uit Groningen en de nabyrige plaatsen alleen verschuldigd.* — Tegenw. staat der vereen. Nederl., t. XVI. p. 75. — *Graaf Willem was een kloek, ervaren en voorzigtig heer.* — Van Meteren, l. XVI, p. 317.

Guilielmus etsi versari foris solebat, tamen quando vacabat, tradebat se totum provinciarum suarum curis. In quibus administrandis quantam operam collocaverit, exquirere operae pretium est. Videamus, quis esset Frisiae status, quum ad ejus Gubernationem accedebat. Visum iis fuerat, qui ante illum provinciam rexerant, quum satisfacere amplissimi muneris officiis Gubernator solus non posset, duo collegia instituere, alterum ex Ordinum Delegatis, ex Judicibus alterum compositum. In Delegatorum Collegium novemviri legebantur, bini ex singulis Ostergoae, Westergoae et Septemsylvarum regionibus, tres ex Civitatibus, quae undecim numero erant. In judicum collegium (Suprema curia dicebatur) plures coöptabantur, quibus Praeses praeërat. His omnibus et Gubernatori Provinciae Ordines dignitate et auctoritate antecellebant (1). Quamdiu rex Philippus Batavas Belgicasque regiones moderabatur, suis singula collegia officiis nulla obtrectatione satisfecerant: ubi abrogatum Regi imperium, disputare de auctoritate coepere, adductis veteris sub Burgundico Principatu disciplinae exemplis. Delegati quidem, ex rei na-

(1) De hac regiminis ratione vidd. Rey., l. IV. p. 61 Pestel, *Comment. de Rep. Bat.* p. 323. seqq. Foeke Sjoerds, *Algem. Beschr. van Friesl.*, D. II. St. I, II. Tegenw. staat, P. XVI.

tura evidens esse dicebant, administrationem justitiae judicibus competere, non item rerum civilium curam. Hi vero demonstrabant, suis semper antea consiliis in gubernanda usos fuisse republica Gubernatores, neque adhibuisse Delegatorum sententias, nisi si qua vitia irrepsissent. Judicibus civitates, quod magistratûs creandi jus penes eos erat, nobiles, in agris habitantes, Delegatis favebant. Praeterea inter civitates et agros de suffragiis non conveniebat: nam inductâ Reformatâ religione exclusi Ecclesiastici Ordinum conventu erant: in eorum locum succedebant civitates, quibus, quotum suffragium competeret, disceptabatur. Tertium sibi ipsae arrogabant: a ceteris non concedebatur. Accedebat ad inimicitiarum vim, quod Ordines collegii sui sedem, quae Leovardia fuerat, Franequeram transferrent, eam ob caussam, quod Leovardia Supremae curiae sedes, hujus studiis serviebat. Has difficultates sustulit Arausionensis, pronuncians in diplomate, placere sibi Guilielmum Ludovicum res civiles et militares cum Delegatis, cum judicibus justitiam administrare. Ille dicto Principi audiens esse, nec moveri factiosorum adulationibus obsecrantium ut sibi faveret, adversariis noceret. Universis idem respondere, dolere se, tantis discordiis provinciam dilacerari: ad suam nondum notitiam pervenisse, utra pars culpanda

esset, id vero ipsum minime latere, opprobrio utrique agendi rationem esse, quandoquidem nullus deberet esse contentionibus locus, si patria bello laboraret. Praestare, litium eos immemores, in eo elaborare, ut externo invisoque hoste Respublica liberaretur. Quod si communibus viribus effecissent, levius deinceps fore discordias jure componere. Sin displiceret eas statim intermittere, viderent, ne quid gravius paterentur ab hoste, et libertatem cum juribus et omni re sua perderent. Itaque *justa moderatione medius* (1) et dolos disputantium lusit Guilielmus, et vero effecit, ut acerrimi quique mitigarentur, patriaeque memores ad tempus certe quiescerent. Iteratae tamen mox querelae, quae Gubernatoris animum admodum afflixerunt. Tradebatur ei die 4 Maji 1584 a quibusdam nobilibus libellus, in quo prolixâ et acerbâ oratione injurias Delegatorum exponebant, supplicantes, ut iis malis quantocyus mederetur. Caput accusationis erat, quod Delegati negotiis se immiscerent, quorum nulla penes eos legitima esset cura, sibi arrogarent auctoritatem judicibus debitam, edic-

---

(1) Grotius, Ann. l. IV. p. 86. Vid. Reyd. l. IV. p. 61. seqq. — *Er zweefden in Vriesland groote misverstanden, aan het slijten derwelke Graaf Willem zonderlinge bescheidenheid, heuschheid en geduld, maar nietaltijd met vracht besteedde.* — Hooft. l. XXI. p. 2.

ta promulgarent, cuderent monetam, priscis nova arma mutarent, consilia agitassent de mittenda ad Imperatorem Germaniae legatione et conferendo in eum provinciae regimine, affectarent tyrannidem, quod spernendâ judicum auctoritate judicia tollerent, distribuerent inter se monasteriorum agros. Quibus rebus, si opus esset, plura se addituros pollicebantur. Neque vero universe haec ita querebantur; distinguebant tempora, nomina designabant, facta cum pulvisculo exhauriebant. Perorabant, Gubernatorem obsecrantes, ut vindicaret Supremae curiae pristinam vim et auctoritatem, mulctaret reos, insontibus probisque sua jura redderet: se quidem, his peractis, omnem illi obedientiam, patriae operam praestare non moraturos. (1)

Intelligitur, quantae perlecto libello Guilielmi animum curae pupugerint, fluctuantem, utrum rem comprimeret, an communicaret cum Ordinum Delegatis. Etsi utrumque anceps videretur, tamen monentibus amicis, rem distulit ad proximum Ordinum conventum, promisitque Nobilibus, caussae se bene memorem futurum. Itaque prius; quam coetus dimitteretur, recitandum coram omnibus libellum curavit, utque sibi in re tam ardua consiliis adessent, monuit. Tum vociferari acceptis injuriis

(1) Reyd, l. l. p. 63. Bor, l. XVIII. p. 49.

Delegati, defendere caussam, poscere judices, quibus probitatem suam probarent, ostenderentque quam esset vile delatorum istud genus, quam rerum novarum studiosum, quam Catilinae sociorumque simile, quod dilapidatis fortunis, patriae exitio potentiam suam et auctoritatem redimere studerent. Diversae sententiae ortae, quibusnam caussae cognitio committeretur; factum praecipuâ Guilielmi operâ, ut ne ex re tanti momenti detrimenti quid respublica ceperit. Nam quum pertimesceret maximas, si urgeretur res, calamitates, continere in officio utrasque partes solitâ benivolentiâ et aequitate conabatur: sapientius consilium, quam si alterutrius factionis caussam suscepisset, quo exasperaturus magis animos quam in concordiam redacturus fuisset. Ex eo tempore crevit Delegatorum auctoritas, judicum juris dicundi finibus terminata est. Illis quoque auctor fuit, ut in suum collegium duos Leovardiae consules, quos maximos adversarios habebant, coöptarent. Quoad ejus fieri potuit, in conventibus tumultûs sedavit, ac repressis malivolorum studiis, universos, ad patriae salutem respicerent, adhortatus est (1).

Quantum efficere studuerit Guilielmus, ut Hesselum Aysmam, et Sacrorum antistites avocaret

---

(1) Reijd, l. l.

a mittenda ad Elisabetham legatione, supra vidimus (1). » Mihi quidem, aiebat, nihil optatius » est, quam ut Angliae regina Reipublicae prin- » cipatum accipiat, quum mihi sit persuasum, » nihil aliud, si a Divini Numinis discedatis auxi- » lio, efficere posse, ut illibatam Religionem pa- » triaeque libertatem conservemus, et domus Nas- » saviae salutem tueamur. Quocirca gratissimum » mihi nuper, cum Hagae Comitis versabar, au- » dienti fuit, studiosissime foederatos Ordines Re- » ginam urgere, ut regimen acciperet; disceden- » tem ex his terris Licestrium precatos, ferret ipsis » in permovendo Reginae animo opem: imo vero » missos ab Ordinibus in Angliam esse, qui ibi » ex hominibus sciscitarentur, numquid emanas- » set, quod spem sibi facere posset. Quin ergo » vos quoque ad foederatos aggregamini, omittite » discordias, ne distrahatur communis caussa, ac » memores estote, multo nobis utilius futurum, si » concordi animo universarum provinciarum regi- » men in Reginam foederati conferant, quam si » dissociati suam singuli caussam agant."

Haec omnia quamvis saluberrimo consilio Guilielmus ageret, et salutem publicam provinciae commodis anteponeret, tamen malivolorum invidiam et

(1) p. 50.

iras non effugit. Calumniabantur eum Aysma aliique factiosi homines, crepabantque, nullo recti honestique sensu imbutum, nefariam patriae proditionem machinari. Quid vero Guilielmus? Tantum aberat, ut crimina purgaret et consiliorum suorum honestatem ostentaret, ut aequo animo ferret injurias, pusillosque hominum animos miseraretur (1). Sic enim statuebat, malitiosis quidem haud meliorem se visum iri, si a turpi labe immunem se vindicaret, probos vero omnes studiorum integritatem non ita latere, ut calumniarum refutationem desiderarent. Longe vero graviorem animo dolorem et perturbationem attulit, quod ex propugnata justitiae caussa odium anno 1589 in se conflavit. Factum enim, ut Carolum Roordam, quocum arctissima ei amicitia intercesserat, implacabilem inimicum et adversarium nancisceretur. Conversionis istius haec caussa habenda est.

Oppidum est in agro Transisalano Hasseletum, Frisiae finibus adjacens: opportuni situs causâ Carolus Roorda, Frisiae legatus Ordinum foedera-

---

(1) Reyd. l. VI. p. 104. *Alle deze kallinghen heeft Graef Willem, wesende van naturen stil, lanckmoedich, bedachtsaem, ende wijdtsiende, met geduldt laten henen gaen, sonder deselve van eenighe openbare wederlegginghe weerdig te aghten, wel wetende dat onwaerheden ten laetsten van selfs vallen.*

torum concilio adscriptus, provinciae illud suae adjungere cupiebat. Praecipuâ ejus operâ accidit, ut quum Hollandico praesidio vacuum esset, Ordines foederati Guilielmo mandarent, militum centuriam in eo collocaret. Hic negare primum, non sine caussa veritus, ne Nienarius, Transisalanae Gubernator, moleste rem esset laturus; timere quoque Frisiae seditiones: cedere tandem iterato Ordinum mandato. Non multo post e vivis excedente Nienario, Ordinum Frisiae Delegati, Guilielmo amici, legare in Transisalanam Dekemam et Cammingam, id acturos, ut rursus illa provincia Frisiae Gubernationi accederet. Profecti jam legati erant, cum ecce! repentino animi motu consiliique levitate mittunt Frisii, qui legatos ulla hac de re consilia inire vetarent. Quasi libertati periculosum, crescere Gubernatori potestatem, metusve esset, ne tot rerum administrationi unus ille in paucis non sufficeret. Legati obstupefacti, omittere quidem de Gubernatione actionem, sed nolle tamen prius domum redire, quam deliberassent cum Hasseletanis.

His igitur Frisiorum praesidium optimis conditionibus proponebant; qui haud inviti statim pactionem inierunt. Sed factum, ut ceteri Transisalani illatam sibi eam injuriam cum foederatis Ordinibus, Senatu et Principe Mauritio, cui obtigerat

interim provincia, quererentur, utque providerent, ne distraheretur regio, postularent. Et speciem quidem injuriae res prae se ferebat: reapse inculpata erat; nam Campi et Harlinga pariter praesidiis Hollandicis utebantur. At inveterata quaedam simultas Transisalanis cum Frisiis communis erat, qua accidit, ut clamitarent, propositum his esse, potitis Hasseleto, Stenovicum et vicinum agrum in potestatem redigere. Nec sane immerito haec illi: nam multo ante Roorda Amstelodami cum Hasseletanis clandestina de ea re consilia inierat.

Pupugit Guilielmi animum, inter socias nationes tantum invidiae haberi, et auctor fuit Frisiis, ut indulgerent, amiceque discordias componerent. Sed stare illi pacto, Hollandorum morem in exemplum adducentes. Res, ut se habebant, manserunt, donec anno 1592 datâ opportunitate de integro agitarentur. Namque expugnato Covordio flagitarunt Mauritium Frisii, ut suo oppidum praesidio teneretur; quod iis hac ille lege gratificatus est, ut desereret Guilielmus Hasseletum, ne duplex esset Transisalanis conquerendi argumentum. Stetit promissis Mauritius: Guilielmus per litteras Hasseletani praesidii praefecto, ut suos inde milites deduceret, mandavit. Cui Roorda duoque Frisiae Delegati, in oppido forte morantes, ne jussum

exsequeretur, obstitere. Re cognitâ Guilielmus contumeliae sibi illatae nullam habuit rationem, sed decessum praesidii urgebat, ut oppidum Mauritii comminationibus eriperet, et gravissimam subire Roordae iram, quam humanitati deësse malebat. Prodit in Delegatorum consilium, ibique, quae acciderant, exponit. Probatis illi consiliis persuadent Hasseleti magistratibus, ut ruptâ pactione Mauritium Gubernatorem consalutent: qui statim legationem cum commendatitiis Guilielmi litteris ad Principem mittunt. Adventantes Hagam legatos intercipit Roorda: blandâ oratione eo flectit animos, ut Principem non adeant. Ubi succedere conatum suum videt, pejora ausus, sordide Guilielmi existimationi nocere studet. Forte vero et casu epistola ejus intercepta ad Gubernatorem defertur; scripta erat ad Econem Isbrandi, qui Ordinum a secretis plurima Roordae consilia ediscere solebat. Inspexit eam Guilielmus, et turpiter commaculatam famam invenit: imputabatur ipsi salutis Frisiae incuria, nuncupabatur nominis Nassavii dedecus, et degener a patriis virtutibus dicebatur; lugebatur Frisia, quae in sinu tyrannum foveret. Acerba aliis injuria haec fuerit: Guilielmo non esse acerbissima non poterat, quod expressam illius manu teneret, quem amaverat maxime, quocum consilia inire in re difficili consueverat antea. Tacuit tamen litterarum argumentum,

seque ad expeditionem accinxit. In toto itinere moestitiae se dedit, neque eam pelli animo a militibus, qui hilaritatem sublatam mirabantur, passus est.

Redux Leovardiam Roorda, ubi resignatas a Gubernatore litteras resciscit, irâ movetur; scriptas publice a se suisque ad Ordinum Delegatos esse simulat, nefarieque resignatas conqueritur. Monebant eum Guilielmi amici, interceptionis nescii, exspectaret saltem illius reditum, et quid rei esset, ex ipso cognosceret. Tum Roorda: *nunc*, ait, *querendi tempus, quandoquidem cunctando effecit, ut in hanc regionem irruerit hostis: mox, ubi victorias reportaverit, surdis narraturus fabulam ero.* Itaque in celebri conventu Guilielmum calumniati sunt Roorda, Camminga et Donia, ex ingenio additis, quae fidem dictis augere possent. Quorum ille certior factus, nondum finito bello, rediit Leovardiam, omnium aures calumniis plenas cognovit, doluitque quod publice (nondum dimissus Ordinum coetus erat) ostentare istorum impudentiam cogeretur. Namque existimabat, si silentio calumnias praeteriret, pejus se a bonis auditurum, et patrueli Mauritio praebiturum perfidiae speciem. Iccirco, quum tertium non esset, apud paucissimos magna in offensa esse, quam augere plurimis improbitatis suspicionem malebat.

Prodiit mense Majo in celeberrimum Ordinum conventum, et praesentibus jussu suo accusatoribus, sic orsus est loqui:

» Me quidem, Viri Nobilissimi, quum adversus
» hostem pro aris et focis dimicabam, vitaeque peri-
» culum adibam, absentem in vestro concilio isti ac-
» cusarunt. Nullam habuere fidei meae studiorum-
» que honestatis rationem, id cum per totam vitam
» egerim, ut sanguine, si possem, civitatis salu-
» tem vindicarem. Impio prorsus et illegitimo modo
» me oppresserunt. Vos profecto, Roorda, Cam-
» minga et Donia, nisi mihi, benefactorum meorum,
» generis et dignitatis ratione habita, parcere vo-
» luissetis, at non minus me saltem, quam Chris-
» tianus homo Christianum, aestimare, ac tamdiu
» comprimere calumnias debuissetis, quoad prae-
» sentis defensionem accepturi fuissetis. Ita de-
» mum satisfecissem vobis, multasque controver-
» sias, quae ut alias, ita hoc praesertim tempore
» gravius Reipublicae nocent, antevenissem. Nunc
» vero illegitima me vestra actio compulit, ut lau-
» datissimum huncce coetum dolorum participem
» et molestiarum redderem, atque ea docerem,
» quae per quinque dierum hebdomades, ne per-
» turbaretur domestica quies, non sine gravi animi
» commotione compresseram. Ac, quoniam fac-
» torum reddere rationes cogor, Deum obtestor,

» qui me in supremo judicio judicabit, me ves-
» tras, Viri Nobilissimi, litteras non aperuisse,
» etsi saepius id antea pro eâ, quae nobis mu-
» tua intercedit, confidentiâ utrinque fecerimus.
» Quodsi cognoscere earum argumentum concupi-
» vissem, legere eas in Curia licuisset, vel per
» illum, qui vobis ab actis est, domum arcessere,
» quod mihi, quoad scio, nunquam negastis. At
» vero te, Roorda, latere minime debet, tuas me,
» quas ad Econem Isbrandi dedisti, litteras re-
» signasse, non quasi temere aliquid mali suspi-
» carer, sed quod persuasissimum mihi esset, con-
» tumeliis me tuis et calumniis absentem peti.
» Quamobrem, ut existimationi consulerem, te-
» que insolentem facto deprehenderem, rei docu-
» mentum requisivi, nec nisi adeptus quievi, ne
» impudenter, quaecunque tibi essem objecturus,
» infitiarere."

Haec locutus, recitari Roordanas litteras jubet, quarum tanta fuit in audientium animos vis, ut iracundia moverentur metuque obmutescerent. Tum Guilelmus Roordam seditiosum hominem, mendacem, conviciatorem appellare, poscere ab Ordinibus arbitros. *Horum*, inquit, *judicio me lubens inferior submittam; neque enim tu, Roorda, ea es dignitate, tecum ut armis digladier, neque ego latere quempiam volo, tyrannum me non*

esse, sed legibus dicto audientem. Attonitus ille, quod in conspectu tam celebris coronae subito dedecore affectum se videret, tacere primum; mox, deposito metu omni ac pudore, superbe loqui, Guilielmum negotium Hasseletense, discordiarum fontem, narrare orsum interpellare, impudenter placide oranti obstrepere, cuncta commentitia esse exclamare. Cui quidem eum in modum verecundiae fines migranti solito vehementius irascebatur Nassavius, ac *Roorda*, ait, *Roorda, audes nimia, improbe! jure tecum rem dirimam, caput tuum volo.* Hic ille: *immerito*, inquit, *improbum me vocas; utinam patris mihi in te auctoritas esset: caput certe idoneis defendam rationibus. Illicitum tibi erat litteras, quas nullo publice edendi consilio ad familiarem scripseram, resignare: non mea suspecta fides, non mihi cum hostibus epistolarum commercium; sum patriae amantissimus, cujus mea plurimum interest salutis.* Tum Guilielmus: *video*, inquit, *quorsum haec tua spectent: eo me tua protervitas adducere conatur, ut mei obliviscar. Equidem acerbius in te invehi, quam me decet, nolo: coram arbitris me sistam, ac nunc quidem discedo.* Postridie rediit in conventum, absentibus adversariis, causamque Hasseletensem enucleate exposuit. Quo facto ipse apud Supremam curiam injuriarum actionem

instituere jussus: Roorda aditu ad Ordinum foederatorum consilium, cui per sedecim annos adscriptus fuerat, interdictus (1).

---

(1) Reyd. l. X. p. 199. seqq. Bor. l. XXX. p. 23. seqq. Wagenaar. l. XXXIII. p. 87. Erunt forte nonnulli, quibus, quae hactenus de causa illa Roordana disputavimus, non satis criticâ diligentiâ explorata videantur. Qui haec fere ore habebunt: honestius, o bone, de Carolo Roorda ejusque factione tibi existimandum est. Abreptus nimirum in Guilielmi laudes latiusque divagatus, errare haud meministi humanum esse. Reidani suspecta fides, ubi res illius refert; auctoritate tum demum est dignus, quum consentire cum eo ceteros historicos deprehenderis. Ut meliora doceare, adeunda perscrutandaque est ipsius Roordae defensio, quam prodidit, postquam ab Hollandiae Ordinibus Ordines Frisiae anno 1595 monitos esse intellexerat, ut in ipsum, utpote nominis Nassavici obtrectatorem, gravius animadverterent. Inde ad rei veritatem penitus cognoscendam plurima hauries, discesque, Guilielmum Ludovicum per vitam omnem id unice esse meditatum, ut cresceret ipse auctoritate, obtrectaret Provinciae Legatis; videbis eum alienis inhiantem fortunis, civilia munera ad se omnia trahentem, cupiditate omnino exardescere tanta, ut, si minus ratione posset, vi plus adeo, quam sibi proposuisset, perficeret. Sed haec objicientibus, tota viri vita, qualem historici prodiderunt, in dubium vocanda erit; nihil enim apud eos istorum simile reperitur, quae in hac defensione unumquemque percellunt. Abhorrent a viri mansuetudine, superbiaeque fastidio, quae ibi leguntur: *Ick wil mij noch anders doen respecteren, ende wil gheen minder authoriteijt hebben als uwe voorige Gouverneurs gehad hebben. Men heeft wel eenen Ysselstein, Stolbergen ende andere van mindere condition, macht gegeven, om hun eygen*

Fusius haec fortasse, quam necesse erat, de Roordana factione disseruimus; sed videbatur in reprimendis hominis istius conatibus, cavendoque ne plurimum inde detrimenti civitas caperet, talem se probasse Guilielmus, ut rem semel exponere orsi, non persequi eam et ad finem perducere non possemus. Fuerit ejus aliquanto immoderatior in veterem amicum ira; dicas adeo haud sine jure, a conviciis dicteriisque sibi eum temperare debuisse: hoc saltem ei laudi ducemus, quod obortos irae motus ita statim compescuit, ut ne quid violentius perageret, praeverterit discedendo; neque vero hominum nos fugiat consuetudo, quibus quanto arctior prius amicitia fuerit, rupto vinculo, tanto in posterum infestior animus, atque iracundia ferocior esse solet. Ceterum in tota illa caussa vi-

---

Hopluijden en Amptenaren selfs te stellen. Waerom soude iek dan, wesende van grooteren Huijse, geenen macht hebben alsulcke hooge ende lage Amptenaren te kiesen daerop ick mij mach vertrouwen, en daer ick mede moet vechten? Ick wilder aldus niet aen wesen: qui se fait brebis, le loup le mange. Sed legenda tota oratio, exhibita ab Aitzema (Saken van Staet en Oorlogh. l. XL. p. 638. b. 649. seqq.), ut Reidano fidem haud negemus, cujus ex consimili Borrii expositione augetur auctoritas. Exstat quoque Caroli Roordae, pronepotis, epistola ad Adrianum Vethium, qua defendit causam Roordanam, sed destituta est idoneis argumentis. Cff. Additamenta. Scheltema, *Staatk. Ned.* P. II. p. 259.

demum eum, quanto adversariis revera superior esset, tanto submissius se gerentem: quanto isti gravius in ipsum atque audacius inveherentur, tanto lugere magis et miseram deplorare reipublicae fortunam, quae, quum esset cum hoste valido confligendum, fovere in sinu suo civiles discordias et seditiosos cives invita cogeretur. Magnifice sane de tam amanti patriae cive, de tam moderato justitiae vindice existimamus, adeo ut qualis ingenio animoque, quibus justitiae probitatisque sensibus fuerit, perspiciamus, et vero, si his addendum nihil haberemus, vix desideraturi quidquam essemus. Sed memoranda nobis restat, qua hoc absolvamus de civili ejus prudentia caput, viri oratio, qua haud scio an nulla excogitari ad movendos animos efficacior possit: estque eadem monimentum, ut videtur, plane eximium aetatis, qua vixit. Mihi quidem legenti illam animoque recolenti, instauratur priscae illius Batavicae virtutis ac fidei memoria, quam haec item referre praesens nostra aetas videtur. In utramque pariter et in ipsum maxime Guilielmum quadrat vetus illud:

. . . . *hic murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi, nullā pallescere culpā.

Sed ipsam viri orationem memoremus.

Nam quum biennio post sedatam priorem illam

tempestatem, numero ac vehementia Roordana factio invalesceret, et criminaretur consiliorum ejus pravitatem, quod Covordium a Frisiis abalienare, exsules accolas, clam Frisiae Ordinibus, in civilia ipsorum Provinciae imperia restituere, atque tradere iis castella et munitiones conaretur, antequam Frisiis ingentes sumtus, in occupandis reficiendisque iis factos, compensati essent, Guilielmus defendere se ab horum injuriis statuit, ac d. 19 Martii 1594 in frequentissimo Ordinum et Delegatorum consessu hoc dicendi exordium fecit:

» Committere non possum, Nobilissimi Viri, quin » verba ad vos facturus, reminiscar summae beni» volentiae, qua me juvenem decennio abhinc, vica» ria Arausionensis in hac regione potestate, mor» tuoque illo, ipsa Gubernatione ornastis. Temporis » sane spatium, quod inter utrumque hunc ho» norem exactum est, brevius fuit ad significan» dam voluntatis meae studiique probitatem, ne« dum ad praestandam provinciae operam. Neque » vero deinde cum aetatis progressu moderandi impe» rii peritia admodum aucta est. Quare si non tanta, » quanta spe praeceperitis, effecerim, ingenii id, » quaeso, mei, quam voluntatis tenuitati tribuere » malitis. Me quidem, dum spirabo, tam eximia » vestra beneficia, quibus me cumulastis, Frisiae » devincient; nec vos latuerit, spero, quanto

» semper studio vitaeque periculo, ut gregarius
» quisquam miles, patriae caussam adjuverim. At
» doleo, inveniri quosdam, qui meis studiis resis-
» tant, vestraeque de me opinioni obtrectare stu-
» deant, accusantes me, quod Accolis magis quam
» Frisiis faveam, imo vero quod Frisiam in vici-
» norum servitutem redigere et Hasseletum Covor-
» diamque a provincia abalienare studeam. Hanc
» ob caussam differre nolui, quin ad Vos, domi-
» nos meos, et Delegatos, quos ad gubernationem
» mihi addidistis, quosque vitae meae morumque
» ratio latere non debet, de contumeliis calumniis-
» que conquererer. Neque vero, ut insolentem
» animum probarem, ita agere statui, sed ut
» conservarem rempublicam, existimans, si per-
» crebescerent atque invalescerent suspiciones ac
» mala fides, in posterum impeditum me iri,
» quominus vobis tanta, quanta vellem, praesta-
» rem. Etenim considerate, qua possim ratione
» saluti publicae servire, quamdiu a lateribus hae-
» reant, qui suspectam fidem habeant. Quomodo
» aeger medicamentis sanabitur, dum metuit, ne
» salubrium potionum loco venenum hauriat? Neque
» haec dico, quasi nunquam in imperio pecca-
» verim, aut ab officii religione declinaverim: sum
» enim homo, non Angelus: sed supremam Veri-
» tatem obtestor, nunquam me de industria salu-

» tem publicam vel neglexisse vel fraudasse, sed » communem omnium vitiorum erratorumque meo» rum fontem humanam fragilitatem, imbecillita» tem, inconsiderantiam esse habendam. Quod » ne effutire vobis videar, Delegatos rogatos velim, » pro summo, quo patriae salutem et libertatem » amore complectuntur, ut sine dissimulatione, » obsecratione, aut excusatione ulla ingenue dilu» cideque significent, quibus in rebus displicuerim » ipsis et peccare sim visus. Vos quoque, Nobilis» simi Viri, obsecror et commoneo, ex Delegatis » singula diligentissime percunctemini, ut omnia in » hoc conventu legitime in lucem protrahantur, » arceantur obtrectationes calumniaeque, ac defen» sio mea accipiatur. Foras exibo, quo vobis li» berior sit confidenter disserendi facultas. Ne» que vero scire cupio, quinam isti fuerint, qui » me insimularent; id cognovisse sufficiet, quibus » caussis respondendum mihi sit."

Haec locutum excepit altum in conventu silentium (1). Nec vero mirum. Nam non poterat non haec oratio in animis audientium aculeos relinquere: et sane haec verba a viro Principe, a Principe Nassavico prolata, quis est tam hebes, quin mente recolens, et voluptate maxima afficiatur, et

(1) Reijd, l. XI. p. 228, 229.

vero rerum ab eo gestarum recordatione prorsus pleneque dilaudet? Non casus, non ira, non subitus animi aestus, non quae flectere nonnunquam ac propellere hominum voluntates solent, ut superbientium quam vera dicentium magis speciem habeant, dicentem Guilielmum agitarunt. Ipsa, quae nunquam non disertissimum et eloquentissimum sui participem reddit, ipsa, inquam, vitae pulcre honesteque peractae et caussae optimae conscientia fuit, quae, talia ut apud illustres viros ingenue pronunciaret, efficeret, talemque ei laudatissimi erga patriam amoris publicam extorqueret significationem. Similiter antiquo aevo Demosthenes, quum calumniatus ipsum coram populo Atheniensium Aeschines fuisset: Θεχάσασθε, dicebat, *ὡς ἁπλᾶ καὶ δίκαια λέγω. Εἰ μὲν ἴστε με τοιοῦτον, οἷον οὗτος ᾐτιᾶτο — οὐ γὰρ ἄλλοθί που βεβίωκα ἢ παρ' ὑμῖν — μηδὲ φωνὴν ἀνάσχησθε, μηδ' εἰ πάντα τὰ κοινὰ ὑπέρευ πεπολίτευμαι, ἀλλ' ἀναςάντες καταψηφίσασθε ἤδη.* (1)

De ceteris autem Guilielmi virtutibus breviter disputaturus, cuinam potiorem quam pietati locum tribuam, quae quanta illi a prima inde aetate fuerit, quum domesticis adhuc exemplis et institutione frueretur, supra vidimus. Jam tum explica-

(1) Demost. de Corona. c. 5.

batur animus ad sublimes de divino Numine maximaque ejus rerum humanarum cura sensus percipiendos; eosque, ubi ex ephebis excessit, ipsa rationis vis et Arausionensis, cujus in disciplinam tradebatur, salutaria praecepta confirmare coeperunt. Neque vero provectior exstinxit aetas, quae superior conceperat, sed quam maxime aluit et excoluit et vero ita corroboravit, ut eosdem propagare per Frisiae Groningaeque regiones non frustra studuerit. Summo verae doctrinae sacrae ducebatur ardore, et quum ad aliarum regionum exemplum in Frisia sensim controversiarum semina orirentur, praecipuam curam habuit, ne radices agerent. Nam duplex ex perversis de religione opinionibus malum extimescebat, cum ne domesticam quietem perturbarent, tum vero ne in mores abirent, quibus intimam statuebat cum religione intercedere necessitudinem. Sacra frequenter adibat, utebatur sacramentis, ecclesiasticorum sermonibus religiose interesse solebat, utque ne precum publicarum privatarumque negligentior a suis ratio haberetur, exemplo effecit suo. Verbo, divinum cultum maximâ reverentiâ prosequebatur. Abesse a sua consuetudine jubens, quoscunque ab orthodoxa, quam ajunt, religione alienos, aut frigidos ad eam cognovisset, piaculo habebat omnes, qui deridere rem sacram, ipsamque Dei majestatem ludi-

brio atque contemtui habere solerent. Delectabatur contra eorum familiaritate, quos pure pieque de religione sentire usu esset expertus: horum ministerio uti, hos ad honores evehere, hos singulari benivolentia et amore prosequi placebat. Haud mirum ergo, si Jesuitarum studia et aversaretur et extimesceret, qui hac praesertim aetate doctrinae suae placita piasque fraudes per Batavas regiones divulgare conabantur, et superstitiosorum credulitati ad suam magnitudinem, adque salutis publicae perniciem insidiabantur. (1) Acrius autem quam decebat et animosius persequebatur, quicunque Arminii doctrinae favebant; atque adeo propter metuenda ex invalescente eorum numero et auctoritate mala, quantum poterat, a publicis muneribus arceri jussit. Erga Mennonitas vero non eodem, quo provinciales, animo sed multo leniore ferebatur, ita quidem ut quum anno 1607 sectae illius studiosi de vi, sibi suaeque religioni illata, ad Ordines foederatos queri statuissent, a Guilielmo litteris commendatitiis munirentur. (2)

Eximia autem, quam in Guilielmo laudavimus, erga Deum pietas effectrix ceterarum ejus virtutum

---

(1) Emmius, p. 229, 230, 237.

(2) Brucherus. *Gesch. der Kerkherv. in Gron.* p. 353. Wagenaar, l. XXXVII. p. 25. Aitzema. *Vredeh.* I. 4. Brandt. *Hist. der Reform.* P. II. p. 206, 207.

et moderatrix fuit. Quarum universarum chorum, quamvis efficacissimam singulae in ejus vitam vim habuerunt, tamen semper velut in famulatu et ministerio pietatis collocavit. Non igitur eas, ut plebs consuevit, sibi colendas existimavit, ut ne in inusitata prolaberetur, ac sine cujusquam viveret offensa; multo honoratiore eas loco habuit, vitaeque bene instituendae velut duces quasdam et adhortatrices coluit. Ab his profectus initiis, haud mirum si mansuetudine et clementia erga hostes, erga cives autem et populares humanitate et benivolentia conspicuus, talisque omnino esset, qualem se videri vellet, talis autem videretur, qualis esset revera. Novimus, quam scelerate Verdugo de medio eum tollere saepius studuerit, quantaque Guilielmi in his ipsis vitae periculis animi fuerit aequitas, qui ipsos sceleris auctores poenas luere satis habens, ut plurium parceret vitae, in ceteros ejusdem sceleris socios ne inquiri quidem, nedum animadverti pateretur. Ceteris autem, quae supra retulimus, clementiae exemplis id addendum est, pactum eum iniisse cum Verdugone, quo omnes foeminae, quae caperentur bello, utrinque suis statim redderentur; quod dici vix potest, quantopere in Verdugone non minus Hispano, quam in Guilielmo laude dignum exstiterit. (1)

(1) Van Wijn. *Bijv. op Deel VIII van Wag.* p. 105.

Sed egregiam ejus ingenii bonitatem in amore vere fraterno, quo Mauritium patruelem prosequi solebat, conspiciamus. De quo an fide digna historicorum testimonia sint, propter consensum cunctorum dubitatio nulla est. E Schola Heidelbergensi profectus uterque, in Arausionensis castra pervenerant, ibique mutua juncti amicitia disciplina tali erant usi, qualis futuros belli duces, rerumque civilium moderatores unice deceret. In quo credibile est, haud parum in excolendo Mauritio, utpote natu majorem, operae Guilielmum posuisse, certe id cupienti, haud defuisse. Deinde vero ad Reipublicae gubernacula accedentes ambo, nec disciplinae vim, neque amicitiae studia amiserunt: quo praeter voluntatem naturalem illa quoque opinio valuit, in ancipite patriae fortuna alterius auxilio monitisque supersedere alterum nequaquam posse. Singularis ergo concordia in omni re, quam communi suscipiebant consilio, tanta fuit, ut adversarii, inepte eam libertati obfuturam existimantes, omni opere ad dissidendum incitare eos moliti sint (1). In plurimis belli ex-

(1) Reyd, l. XI. p. 234. *Prins Maurits en Graef Willem laten Groningen opeischen. Dit schrijven werdt bij die Heeren beijde onderteijckent, omdat het leger onder Graef Willems Gouvernement was, ende 't ghebiedt nae 't oude ghebruijck bij hem alleen stondt, ende hij nochtans uijt be-*

peditionibus, quibus conjunctim interfuerunt, nulla unquam exstitit aemulationis aut discordiae species, ut idem velle, idem sentire, idem ad patriae gloriam et utilitatem conferre eos appareret (1). Mauritius si quid imprudentius committeret, unde quae essent nascitura mala, non perspecta haberet, Guilielmus aderat amice dissentiens, benivoleque meliora docens (2). Sic quum admodum graves inter Mauritium et Oldenbarneveldium ortae essent discordiae, eaeque invalescerent quum de induciis ageretur, Janinus Guilielmum ex ceteris omnibus expetivit, qui in mutuam gratiam ut redirent prudenter efficeret (3); ejusdemque operâ a° 1608

leeftheÿdt ende om meerder eendracht wille, Prins Maurits die eere gunde. Gelÿck steets eene sonderlinghe liefde ende eenicheÿdt tusschen dese twee gheweest is, soo seer oock, dat Roorda en die sÿne deselve gevaerlÿck achten voor de vrÿheÿdt, ende gebruÿckten veel listen om stof van twist tusschen hun beÿden te saijen. — Cf. Aitzema, Op.cit. l. 3. *Tusschen Graaf Willem en Maurits was groote confidentie en vriendschap.*

(1) Grotius Hist. l. III p. 186.

(2) Lege sis Epist. Guilielmi ad Mauritium de caussa Sonoji Praefecti. Bor, l. XXII. p. 36, 37.

(3) *Nous avons reconcilié Mr. de Barneveld avec Mr. le Prince Maurice par le moyen et avec l'aide de Mr. le Comte Guillaume de Nassau, qui s'y est entremis très-volontiers, les a fait parler ensemble à coeur ouvert, et mettre hors de leurs esprits tous soupçons et défiances.* — Lettre au Roy du 20 Juin 1607. Jeannin Négot. l. p. 186. Cf. p 301.

factum erat, ut conciliaretur Mauritius cum sorore Aemilia, quae*, perinvito illo nuptias cum Principe Emanuele, Regis Lusitaniae filio, inierat (1). His vero Guilielmi studiis plerumque Mauritius obsecundavit, nunquam fastidivit consilia, ac nisi menti suae prorsus repugnarent, non rejecit. (2)

At vero, ut erat illius plane militaris indoles, ita nimio fere in gerendis quibuscunque rebus civilibus ardore ferebatur minusque ratione quam animi impetu agebat. Quo nobis admirabilior et in eo flectendi ad prudentiora animi facultas, et vero in Guilielmo dicendi virtus et παῤῥησία apparet, qui *non subordinatus illi, ne quidem in castris* (3) sponte sua admonere verbis scriptisque

---

(1) *De vrede is gemaeckt tusschen Maurits ende sijne suster Emilia van Nassau deur het tusschenspreecken van Graeff Willem.* M. S. cit. — Cf. V. Cappelle op. cit. p. 115.

(2) *Hoc praecipue Comite fidoque Achate tum in consiliis capiendis, tum in re gerenda patruelis ipsius Mauritius utebatur, ejusque saluberrimis monitis tribuebat plurimum.* Isingius, de Meritis Nassaviorum, in Misc. Gron. T. I. P. I. p. 77 — *Graeff Willem, wiens raadt sijne Exc. alletijt gebruijckt.* M. S. cit. — *Wilhelmus Ludovicus, cujus ut aetate majoris et prudentiâ insignis, auctoritas apud Mauritium et Ordines in pretio habebatur.* Ulr. Hub. op. cit. P. II. l. II. Sect. 2. c. 12. p. 364.

(3) Ulr. Hub. p. 365. 428. Cff. Kluit, *Gesch. der Holl. Staatsreg.* D. III. p. 87. — Resol. v. Holl. p. 149. — Schuitep. p. 233.

haud recusaret, ac subigere Martiale illud ingenium ad extremum usque spiritum auderet. Verumtamen cedere subinde ejus pertinaciae debebat, quod factum imprimis dolemus in causa, qua ipse se superare Mauritius potuisset.

Necesse non est, ut Oldenbarneveldii eximias erga Rempublicam laudes hic celebrem: at commiserari ejus fortunam, qui postquam summis in civitate honoribus tam praeclare erat functus, capitis damnatus fuit, cum bonis omnibus, et licet, et vero decet. Neque etiam, quamvis obtrectare ceteris Mauritii factis meritisque nolimus, condonare ei viri supplicium possumus, cui, si vel maxime ejus consilia suspecta habuisset, senectutis gratia parcere debuisset. Eoque minus profecto defendenda Principis agendi ratio videtur, quod constat, non defuisse, qui moderatiora ei consilia suppeditarent. Guilielmus certe ferre animo non poterat, ut grandaevus homo, septuagenario major, etiamsi ab adversa parte cum fortunae sociis staret, tam indignum vitae exitum haberet. Neque haec tantum ita secum ille: imo vero dedit ad patruelem litteras (1), et adhortatus eum est, caveret, ne quid violentius in Oldenbarneveldium ejusque amicos

(1) Has debemus Kluitio, Op. cit. P. III. Bijlage. Cff. Additamenta.

statueret. Si qui, scripsit, oportere censerent, ut ad deterrendos ceteros vindictae exemplum statueretur, hos reipublicae conditionem latere, neque usurpari torturam, nec fundi sanguinem decere: sic enim in partes diremtam patriam esse, ut ab utrisque multa nec sine justi specie proferri possent: praeterea captivorum non negligenda esse in Rempublicam merita; et vero, si quid iniquius perpetraretur, hoc uni Mauritio adscriptum iri. Contra, si quam haberet dignitatis meritorumque captivorum rationem, si rem componere non fuso sanguine posset, omnium omnino oculos in se conversurum esse. Haec quidem quin eum admoneret, committere ad animi tranquillitatem se non potuisse. — Et sane si quis epistolam, ut se habet, inspicit, fatebitur, *palmarium quoddam esse politicae sapientiae exemplar* (1), tum

---

(1) Van Kampen, *Karakterkunde der Nederl. Gesch.* D. I. p. 493. Brandt. *Hist. d. Reform.* D. IV. p. 285. Cum alia plura nec probabilia, tum narrant quoque, Guilielmum exquisivisse rationes et deliberasse cum aliis, quo pacto servari Oldenbarneveldio vita posset; sed huic narrationi ne fidem habeamus, facit animadversio viri Cel. H. Calkoen, quam in libro qui inscribitur: *Oldenbarneveld's eer verdedigd*, ipsi narrationi adjungit; vid. p. 245–263. Cf. Brandt, *Hist. van de Regtspleging.* p. 134. Cérisier, *La Rép. des Prov. Unies.* T. V. p. 368–373. Collot d'Esc. *Holl. Roem*, D. II. p. 176.

etiam vere fraternos sensus in ea elucere, ut non possimus non auctorem adamare, qui tam benivole humanitatis patruelem admonuerit, neque hunc reprehendere, qui ad tam amicam adhortationem flecti animum non passus fuerit.

Tam praeclaris sagi togaeque virtutibus quum eluceret Guilielmus, haud sane mirum cuiquam accidere poterit, eundem parem retulisse morum modestiam, probitatem et temperantiam. Ac temperantiam quidem, tanti, quanti Arausionensis, fecit, ac necessarium putavit, ut ipse exemplo praeiret, caveretque, ne, dum bello continuo publicum exhauriebatur aerarium, diffluerent cives luxuria, nec praestare opem calamitosae patriae possent (1). Icciroo luxus fastusque omnis ab aula exsulabat: simplicitatis et elegantiae maxima habebatur ratio, et erat rerum omnium utilium pro Gubernatoria dignitate abundantia. Ad coenam, quae munditie, et variarum dapium, nec tamen sumtuosarum, copia erat ornata, si patiebatur va-

---

(1) *Onder de neeven en naverwanten van Willem I blonk wel voornamentlijk uit Willem Lodewijk, die so in de landen van sijn Gouvernement als in sijn Hof de voetstappen van sijn grote voorganger en Oom Willem naging, en na sijn dood een voorsigtig geleider, en wijs bestierder bleef van een van ouds dappere, en van haar vrijheit jalourse natie.* Schuitep. p. 190.

letudo, invitare convivas per orbem solebat, ita ut, qui in magistratu erant, aliisque vel ecclesiasticis vel civilibus vel militaribus muneribus fungebantur, ordine conviviis interessent. Epulares sermones, perquam familiares, mirifice accommodare ad ingenia moresque hominum norat: jocari et cavillari lubebat cum hilaribus, serio de rebus seriis cum tristibus et submorosis hominibus confabulabatur. Prandiis coenisque ultra horae spatium raro vacabat, plurimum intra vertentem horam finiebat. Ut abstinebat opipare paratis dapibus, ita largius carne, pisce, butyro, caseo, fructibus domesticis cum pane mundo utebatur. Vini modica pocula, quantum appetitui sufficiebat, hauriebat, ebrietatem odio habebat, et vinosas concertationes, quas barbaras et plus quam belluinas, ac nocere gravissime sanitati existimabat, detestabatur. Coenatus ad firmandam corporis valetudinem et animi caussa equitare aut curru extra urbem vehi, si commoda coeli aërisque temperies esset, solebat. Hoc enim fuit ei a pueritia proprium, ut ejusmodi exercitiis magis quam alea similibusque ludis delectaretur. Equos alebat generosissimos, et sic amabat, ut raro, nisi conspectis iis, dies transigeretur. Quodsi impediret coeli temperies, ne foras excurreret, manebat domi, et latrunculis, quod in eo ludo plus ingenii acumen, quam for-

tuna valeret, lubenter neque imperite ludebat. Utque hac erat ipse summa continentia insignis, ita sponte easdem vitae leges sequebatur familia aulica, ad modestiam et gravitatem, quam ad magnificentiam et luxuriam proclivior (1). Animus

(1) Ut nobis simplicitatem familiae aulicae quodammodo fingamus, apponere juvat, quae Fredericus Vervovius anno 1595 scripsit: » *Na deesen heeft Sijne Genade weder-* » *omme aan mij geschreven, dat ik wilde te Groeningen* » *komen, om van het Hofmeestersampt verschreven met* » *mij te spreeken; so ben ik derwaarts getogen, ende sijn* » *geaccordeert, dat ik des jaars soude hebben ses hondert* » *guldens, vrij kost ende woninge voor mij, mijn Huis-* » *vrouwe, ende Soon Hessel van Vervou, ende Dienaar,* » *die ook alle jaren een Hofs-kleet sal hebben, eene Dienst-* » *maagt, een Peert, en daarvoor hooij ende haver, wel-* » *verstaande, dat wanneer Sijn Genade geen Hof houdet* » *binnen Leeuwarden ofte Groeningen, dat mijn Huijs-* » *vrouwe als dan haar eijgen kosten doen sal in het Hof-* » *meesters logement.''* — Welke somme met de overige omstandigheden voor een Eerste Minister en Man van geboorte, na die tijt self, seer gering was. Als men sig hieruit verbeelt het Hofgesin van Willem Lodewijk, 't welk in het klein na dat van Willem I was geformeert, sal me bijna ophouде sig te verwonderen, hoe die Heeren de door geheel Europa gevreesde Magt van Spanjen hebben konnen tegenstaan, en so een handvol volk, als Neerlant, tot sulk een magtige natie maaken. 't Is seker dat sulke Princen alleen bekwaam sijn om, na menschen gedagten onverwinnelijke swarigheden te boven te komen: gelijk Willem Lodewijk door alle dissensien van de Regenten, flaumoedigheit van het volk, jalousie tusschen de Provincien, onwilligheit tot de nodige contributien, en lasteringen van groot en klein

autem ejus castus et candidus ab omni petulantia et libidine alienus, ut neque verbis neque factis lasciviret unquam. Amicitiae idem sensibus acerrimis flagrabat, sed in quaerendis amicis valde prudens; et cum esset ingenio perspicax, indolem moresque eorum, quorum sibi exoptabat consuetudinem, explorare et dijudicare celerrime poterat. » *Reminiscor*, ait Emmius, *ante plures* » *annos, cum virum dignitate et doctrina spec-* » *tatum, quem ante nec norat, nec viderat, de* » *publica re apud se verba facientem audivis-* » *set, oculosque pariter et aures in eum inten-* » *disset, de ingenio ac moribus ejus tam dex-* » *tre ac vere statim judicasse, ac si modium* » *salis, quod ajunt, cum eo comedisset.*" (1) Nec minor sane liberalitatis laus fuit: nam omnes, quotquot in legionibus suis ordines militares ducebant, si dignos se munere praestarent, milites ipsos, si fortitudine, alacritate, vitae probitate se commendarent, ministros quoque suos, si recte officiis satisfacerent, et diligebat, et pro meritis remunerabatur: et vero, ut cavebat ab alieno aere conflando, ita sublevare egenorum miserias erogandis beneficiis, mensaeque suae copiâ explere esu-

heeft heen geworstelt. — M. S. cit. Schuitep. p. 227. Cf. Emmius, p. 231 seqq.

(1) Emmius, p. 238.

rientium famem, gratissimum erat. Avaros rerumque cupidos et ambitiosos, utpote qui essent discordiarum auctores, odio habebat. Excandescebat subinde irâ, si quid, quod valde iniquum videretur, obveniret; sed reprehendere id ob acerrimum justitiae sensum, quam humanae societatis conservatricem habebat, nullo modo possumus: praesertim quum irae non indulgeret, sed placari animum et defervescere iram pateretur. Invisum ei omne adsentatorum genus erat, eorum maxime, qui Principum voluntatibus, ut gratiam inirent, se accommodarent, neque religioni haberent, perversam legum foederumque et pactionum afferre interpretationem, si contraria iis esse Principum studia animadverterent. Culpabat in quovis homine simulationem et perjurium; sed omnium minime ferenda in Principe censebat, quem adeo verba factis obstringere deberent, ut juramenti locum tenerent. Ita porro libertatis moribus utebatur, ut in illa, non in principatu natum institutumque censuisses. Principum exagitare injuriam et stoliditatem solebat, qui adversantes majorum institutis, gentis suae libertati nocerent, et odium in se suorum excitarent. Dignitatem contra et auctoritatem invalescere iis magis arbitrabatur, quo liberius cives viverent, et conditione sua gauderent. Tandem haec erat morum amabilitas et facilitas, ut sive cum viris,

nobilitate conspicuis et majorum gloriâ superbis, sive cum plebejis hominibus dissereret, omnibus affabilitate gratissima et benivolentia se commendaret; quae vix dici potest, quam sit praeclarâ ubertate in viro principe spectata virtus. (1)

Et sic quidem ingenium Illustrissimi Comitis Guilielmi Nassavii, quoad potuimus accuratissime, exprimere sumus conati. Nec sane, hanc ejus contemplati imaginem, dubitabimus magnis eum viris, quos et superior viderat aetas, et ipsius saeculum praestantissimos tulit, accensere. Quodsi consideramus, quid ipsi in omni re agenda, sive dimicaret pro aris et focis, sive in provehenda versaretur provinciarum salute, seu vitae domesticae et familiari vacaret, menti obversatum fuerit, e sententia, qua symboli instar utebatur, intelligere illud licet. Namque, ut Arausionensis Princeps usurpaverat fere, *saevis tranquillus in undis*, ac Mauritius, a tanto se patre ortum glorians, usurpare *tandem fit surculus arbor* (2) solebat, ita Guilielmus, quamvis nec constantiâ carens, neque ab omni gloriae studio alienus, tamen hoc utebatur fere: *Wils Godt mit ehren.* (3)

(1) Emmius, p. 234 seqq.
(2) Van Meteren, l. XII. p. 176, 177.
(3) Emmius in viri Effigie. Starter. *Lijkklacht.*

GUILIELMI LUDOVICI

IN REMPUBLICAM MERITA.

Eo jam nobis escendisse ac pervenisse videmur, ut praecipua omnia, quae Guilielmus Ludovicus ad patriae felicitatem meditatus conatusque est, et vero fecit reapse, tanquam e specula contemplemur. Cui sane si melior fuisset fortuna, si non hominum perversitates, inimicorum irae, amicorum fraudes et doli obstitissent, quominus salutari consilio tristem adjuvaret patriae conditionem, haud quidem ille nobis praestantior videretur, sed fortunatior foederata Respublica fuisset. Ille enim quantus vir fuerit, ex hac nostra cum rerum ab eo gestarum narratione, tum indolis perscrutatione, satis videtur constare, idque universe de eo statuendum, nihil eum non, quod ex republica futurum arbitraretur, efficere studuisse, nihil, quod obfuturum existimaret, non dissuasisse. Sed quo haec melius interiusque perspiciamus, quamvis satis idoneam, ea quae retulimus, materiem praebue-

rint, explorare singulatim ejus *merita* juvat, primum in *res politicas et ecclesiasticas*, deinde in *res militares*, tandem in *artes* ac *litteras.*

Ut quis recte judicare possit, quae fuerint eximiae Guilielmi in administrandis provinciis laudes, earum conditionem, quo tempore singularum Gubernationem obtinuit, animadvertat necesse est. Tantum enim aberat, ut ad pacatas gentes beneque moratas proficisceretur, et ordinata imperia inveniret, ut maximae difficultates ante essent superandae quam componere res turbidas posset. In Frisia Bernardo Merodio successit, spectato consiliis viro, sed cui navare reipublicae operam senectutis causa vix amplius licuerat, ut neglectae incuriâ ejus res civiles jacerent. (1) Accepit Groningae regimen, postquam diuturnâ cum Hispanis consuetudine corrupti civium mores, et imbuti perniciosa superstitione fuerant. In talem omnino rerum

(1) Reyd, l. IV. p. 61. — *In het jaar 1584 wierd Graaf Willem Lodewijk Lieutenant Stadhouder van de Prins van Orangen in Frieslandt in plaats van de Heer van Merode, die weegens ouderdom de expeditien te velde niet konde bijwonen, en om sijn gelijkheit van conditie van de Edelen van Frieslandt niet genoeg wierde gerespecteert, en daarom van het Gouvernement vrijwillig afstant hadde gedaan; Willem Lodewijk vond het Land en Collegien vol dissensien en twist, maar kwam door sijn onpartijdigheit en goede directie de meeste swarigheden so verre te boven, dat hy sig schikte na een defensie teegen de algemeene vijand.* Schuitep. p. 282.

omnium perturbationem incidebat, qualis exsistere solet, quoties e servitute recens libertas exoritur. Fingas tibi animo gentem, quae ut Frisiaca, ex quo prodire in populorum societatem coepit, libertatis studia spiravit, subjectam aliquamdiu alienae dominationi, sed ex his vinculis propria vi et alacritate solutam: quis, quaeso, erit moderandae ejus temperandaeque modus, quae regundae ratio? Rectam instituit usurpavitque Guilielmus, qui spretis molestiis odiisque maximis, eum Gubernationis cursum tenere potuit, ut represserit malivolorum studia, neque frustra in provehenda populi salute elaborasse sit censendus. Quid? quod brevi eodem auctore tantam Frisii acquisiverunt vim et auctoritatem, ut superbia ducti, separandi se a foederata Republica seria consilia agitarent.

Hujusmodi quid initio anni 1586, post Boxumanam cladem, redeunte ex Hollandia Guilielmo, Procerum sermonibus jactatum fuerat; ac tum quidem ex trepidatione magna, quae post foedam Hispanicorum libidinem et crudelitatem Frisiorum animos invaserat, subito ortum existimabatur. Perhibebant quidem consilii auctores, hostiles incursus melius firmiusque non posse prohiberi, quam si in insulae formam Frisia redigeretur, submersis agris, qui minus essent feraciores. Veruntamen si ad ea, quae postea acciderunt, attendimus, si considera-

mus, quanto studio Hesselus Aysma cum sociis (1587) id apud Elisabetham efficere studuerint, ut Frisiae regimen susciperet, quam enixe, ut vacua Harlinga alieno praesidio esset, obtestati sint, quantam deinceps Roordana factio diligentiam adhibuerit, ut Hasseletum custodiendum Frisiis traderetur, quod oppidum istud cum Stenovico egregie ad propugnandos provinciae fines et assequenda consilia opportunum existimabatur, haud ineptum est credere, id jam tum Frisiae Proceres molitos fuisse, ut secessionem a foederatis facerent, acquisitisque agro Groningano et Transisalano, latius dominarentur. (1) Utut est, a Guilielmo cautum, ista ne res procederet. (2) Sed deinde (1593), quum gravissimae illae, quas fusius exposuimus, controversiae Roordanae Guilielmi animum perturbarent, metumque facerent, ne ad Procerum exemplum plebs in seditiones concitaretur, accidit, ut iidem perficiendi propositi tempus esse rati, quae jam dudum mente agitavissent, Ordinibus exponerent: praedicantes, interesse rerum suarum ac Provinciae, ut agri omnes, qui Flevo et Amaso Drenthiaeque paludibus et propugnaculis interjacebant, peculiaris cujusdam Reipublicae formam rationemque adipiscerentur. Non sane, quo disce-

(1) Mortuo enim Nienario, Transisalanae Gubernatore, provinciam eam sibi acquirere studuerunt. Reyd, l. X. p. 199.
(2) Reyd, l. IV. p. 70.

derent a sociis, eoque turpiter fallerent, haec spectare: salvas sanctasque foederis Trajectini leges se omnino velle in eoque perstare: sed, quo liberius suopte consilio ac suis ipsi possent viribus agere, haec sibi visa esse. Itaque quum eo tempore varia de obsidenda Groninga consilia agitarentur, atque foederatorum Ordinum sententiae ad aggrediendam universo belli impetu Groningam inclinarent, suas Frisii rationes, contraria spectantes, magna voce in medium protulerunt, par esse dicentes, ut hanc ipsi expeditionem soli susciperent, competere vires, cetera omnia, quibus opus esset, in promtu se habere. Haec consilia qualia naturâ essent, quorsum tenderent, quoque possent abire, non latuit prudens et perspicax Guilielmi ingenium. Is, cujus omnes animi cogitationes ad id consequendum conspirabant, ut quoad ejus fieri posset, gens Batava una maneret, ferre non poterat, ut imprudentiâ et injustitiâ nonnullorum distraheretur communis causa, et malorum fons aperiretur, quibus in posterum futurum nullum remedium esset. Haec igitur ipsi exquisita opportunitas fuit, ut acutissimi ingenii quae esset vis ac perspicacitas, quae generosi atque a sordida sui consideratione aversi animi integritas et candor, denique, quam sibi esset firma atque invicta voluntas, ubi rei populari privatam gloriam et magnitudinem postponendam censeret, palam

omnibus faceret. Damnabat igitur, quae sibi illi de Groninga proposita habebant, demonstrans, civitatem eam diuturna liberatam servitute, atque ex faucibus belli ereptam, sui esse in posterum juris, et similiter ac Gelriam et Transisalanam accedere ad Ordinum foederatorum collegium oportere. Illi Frisiae commodis prospicere et splendori satis habebant, velutsi Provinciae finibus patriae salus ac foederatorum nomen circumscriberetur, nec latius pateret neve esset corporis simillimum, quod distractis membris ipsum vigere non amplius posset. Guilielmus sustentari patriam ac sublevari communi civium auxilio oportere existimabat, cui quum omnia sua deberent, quae sine ea interiissent, imploranti auxilium deësse non liceret. Illi belli jus, factasque impensas urgere: Guilielmus nihil utile, nisi quod idem aequum honestumque esset, contendere: urbes Transisalanae invitis sociis non posse teneri: neque vero Hollandiae esse immemor, quae Rempublicam illam Transflevanam, sua et auctoritate et dignitate pollentem, molestissime esset latura nec temere veritura, ne opibus paulatim crescens superbiâ suâ ceteras absorberet provincias. Tanti apud ipsos Frisiae Ordines ejus sententia momenti fuit, ut etiamsi optimates, ad extremum usque consilium suum persequentes, id agerent, ut urbe ad extrema redactâ, cum de conditionibus ageretur,

inter obsides electi persuaderent civitati, quo se in idem cum Frisia corpus conjungi peteret, multas ei immunitates prae Accolis proponentes, tamen a re periculosa et injusta abstinendum esse censerent: ipse tamen adeo non suorum invidiam effugit, ut acuente ingenia indignatione, abjectam ei ambitionem, ut divisis provinciis et bello latius diffuso validius imperaret, objicerent. (1)

---

(1) Ulr. Huberus, vir Frisiae, quam foederatae Reip. studiosior, culpans Guilielmi consilia, perperam Procerum errores laudibus effert. *Comitis*, ait, *potentia et moles foederis praevaluit apud Frisiae Ordines, paucis tantam vim prudentiae possidentibus, ut e longinquo praestantiam illius consilii, quam posteri, immensis longinquae militiae et navalium bellorum procul a re sua impensis, sero nimis senserunt, perspicere possent.* Op. cit. p. 365. — Verius auctor Schuitep. p. 228. *Als men de natuur van ons bontgenootschap te regte insiet, so moet ijder het discreperend gevoelen van de Stadhouder billijken, nadien sekerlijk al de Leeden, die in de Unie getreden sijn, hebben voorgehadt om haar eijgen Lands-regering te beter te beschermen, en geensints om door de een of ander van haar Meedeleeden, so sij in 't geheel in handen van de vijand raakten, of ten deele daar nog onder saaten, te werden geincorporeert: so als sekerlijk in dit geval met Groeningen soude gebeurt sijn, daar self de Broederschap tusschen de Nederlanden medebragt, dat ijder Provincie in die omtrek en palen van gebiet bleef, als sij te vooren onder de heerschappije van Spanjen gehadt hadde, schoon sij op kosten van een nabuirige Provincie of Provincien uit de magt der vijanden wierde geredt, nadien mij dunkt dat het niet past, dat de Nederlanders het regt van Oor-*

Tali tamque egregie cordato viro, qui non aetati suae duntaxat, sed proximorum adeo seculorum saluti provideret, quid mirum, Mauritium in rebus maximi momenti semper tanquam sapienti consultore fidoque Achate esse usum? quid mirum, quum factionibus motibusque nondum sedatis, negotia plurima maximeque diversa bonos omnes terrore ac sollicitudine replerent, eundem per integros decem menses secum habuisse, neque a latere suo discedere sivisse?

Ac profecto habuit Guilielmus, quod laetaretur, fortitudine et prudentia sua crevisse Reipublicae opes, industria ac vigilantia praecipuas florere in provinciis suis urbes, nitere moenium amplitudine, celebritate civium, aedificiorum splendore et numero, negotiationum opificiorumque varietate, universeque regionem omnem, agros, villas civium laetum praebere adspectum et prosperitate commendari. Multo tamen majorem vitae felicitatem animique voluptatem percepit, quod ipsam gentem curis suis et assiduitate beatiorem reddidisset: cui per omne gubernationis tempus ita vacaverat, ut

---

log tegen malkander allegeren. — Cf. Reyd, l. XI, p 229, 239. Similem tulit Guilielmus sententiam anno 1618, quum propugnans Societatis Indiae Orientalis causam, auctor esset Frisiis, ut *bono communi privata commoda consecrarent.* Rem vide apud Carletonum (*Lettr. et Négoc.*) T. II. p 321 sqq.

bis tantum in Germaniam, semel in Angliam, Emdam item semel se contulisset, a Comite Ennone, Groningam profecto, invitatus. Cujus resistere ideo precibus noluerat, quod antiquissimum reformatae Ecclesiae hospitium et Batavorum, quotquot religionis gratia voluntarie exsulaverant, asylum visere concupiscebat. (1)

Proxime cum civilibus Guilielmi meritis ea conjuncta sunt, quae pro Reformata religione in provinciis suis agere instituit. Ad imitationem enim eorum omnium, quae aliunde sumta egregie civium servire saluti possent, sponte accedens, et patrem habuerat et patruum omni laude praestantes; utrumque pari industria et ardore in instauranda veteri Reipublicae disciplina versatum, sed non minus utrumque religionis curam et praesidium proprio cum vitae periculo, ut vitam gentis suae vere vitalem efficerent, strenue suscipientem in eoque perseverantem. Horum vestigiis Guilielmus incedens, et praeclaram navavit Reipublicae operam, nec religionis patrocinium a Principis abesse persona judicavit. Quocirca, Gubernatione Frisiae ornatus, curavit maxime, ut rite munera sacra obirentur ubivis, sua ut quibusque propria ac sola essent, neque immiscerent se doctrinae sacrae antistites rebus civilibus aliisque, quod

(1) Emmius, p. 228, 229.

non modo invidiae esset plenum, sed a muneris dignitate abhorreret. (1) In provincia vero Groningana, postquam ejecto Hispano in foederis societatem venit, et in Drenthia, ex quo huic praeësse provinciae coepit, majora etiam conatus assecutusque est.

Per decennium imperaverat Frisiae, acceperatque eam regionem discordiis quidem laceratam, sed jam pridem sanioribus institutis gavisam, et excellentibus praeditam ingeniis. In qua credibile est, praeter conditam Academiam plura exstitisse ejus in Ecclesiam merita certasque curante eo scriptas constitutiones et inductas esse. (2) Tum vero ad Groningae Gubernationem admotum, plus operis, majores difficultates, infinitae molestiae manebant. Oppressi cives diuturna servitute, pessima conta-

(1) Supra p. 50. Cf. Epist. quam scripsit ad Classem Snecanam, servata ab Uytenbogardo *Kerk. Hist.* p. 241.

(2) Foeko Sjoerds, Op. cit. D. II. St. II. p. 737. *Of er eene vaste kerkenörder voor deze Provincie, ten tijde van 't Stadhouderschap van Willem Lodewijk, is beraamt en ingevoert, als de Heer Dreas mij meermalen mondeling verzekert heeft, en schijnt te kennen te geven in zijn E. voorrede voor de Dokkumer Naamlijst, is mij niet volkomen gebleken; hoewel 't mij niet onwaarschijnlijk voorkomt, alzo hetzelve althans in de Provincie van Stad en Lande, zekerlijk heeft plaats gehad; en het niet denkelijk is, dat de brave Willem Lodewijk, die zulks in de gemelde Provincie zo zeer beijvert heeft, hetzelve hier insgelijks niet zou bevordert hebben.*

gione depravati mores, abrogata instituta et leges, abolita vetus disciplina, animi superstitione et illiberali doctrina imbuti. His malis ut salutaris medicina adhiberetur, ac sanata civitas cum ceteris contendere civitatibus posset, prudentiâ erat opus; quae singularis in Guilielmo apparuit. Nam, instauratis scholis et emendata publica disciplina, Mensonem Altingium, sacrorum antistitem Emdanum, summi judicii summaeque doctrinae ac rerum ecclesiasticarum peritiae virum, ad constituendam Ecclesiam Groninganam litteris evocavit. (1) Huic duo Professores Franequerani, Sibrandus Lubbertus et Martinus Lydius additi sunt, ut citius opus procederet. Altingius Latine constitutionem ecclesiasticam adumbravit, quae visenda reliquis tradita linguâ mox vernaculâ reddita est. Placuit singula deinceps capita accurate explorare, et conformare ad diversas Groninganorum et Accolarum rationes, ita quidem ut ex eadem constitutione duae exstiterint, (2) altera Groningana, confirmata die 16 Sept. 1594, Accolarum altera, die demum 27 Feb. 1595 confirmata et edita. Interim curaverat cum Delegatis, ut quatuor sacrorum ministri vocarentur

---

(1) Has litteras exhibebimus in libelli calce. Inveniuntur in Misc. Gron. Gerdesii, T. VIII. p. 672 seqq.

(2) Vide eas apud Brucherum, *Gesch. der Kerkh. in Gron.* p. 425 ad finem.

Groningam, quibus quintus brevi accessit, et constitueretur Consilium ecclesiasticum. Quibus rite ordinatis, prodiit ipse Gubernator m. Majo 1596 in conventum Ecclesiae Groninganum, comitatus a Delegatis, ibique ut auctoritate instituta firmaret, antistites graviter allocutus est, monuitque, unanimitate, virtute atque industria sacram Ecclesiam aedificarent. Postremo Drenthiae potitus regimine, haud minora ad res sacras ibi instaurandas peregit. Denuo enim Altingium m. Nov. 1597 literis adhortatus est, ut se conferens Groningam, secum et cum Reidano instaurationem moliretur, indicaretque viros, quos muneribus sacris idoneos censeret. De his fusius actum proximo anno in conventu ecclesiastico, atque anno 1602 constitutio Drenthina promulgari coepta. (1)

Gaudemus hac Guilielmi animum imbutum opinione videre, majus quid postulari ad summam gentis felicitatem, quam ut legibus serviret, atque in rebus suis sollicite curandis acquiesceret. Sed crescit illud gaudium nostrum, ubi fructus eâ proferri uberrimos et ad salutem omnium, certe sublevationem idoneos conspicimus. Status patriae quis ab

(1) Brucherus, Op. cit. p. 278. 286. 294. 311 seqq. Ypeij en Dermout, *Gesch. der Herv. Kerk*, I p. 356 seqq. II. p. 102 seqq. Foeke Sjoerds, Op. cit. I. p. 185.

finitis inde induciis fuerit, quantis ab externo hoste depulsis periculis quantae successerint intestinae calamitates, quum abscondito gladio agi scribique de religione coepit, satis eheu! constat. Vetus Batavia, beatiori luce recens illustrata, eâque duce et instigatrice ad veram libertatem cum civilem tum moralem tendere conata, turpiter eam deseruit, nec nisi gravissimis acceptis detrimentis ad eam se converti denuo passa est. Qua coeca libidine etsi ferrentur praecipui quique in civitate viri, factum Guilielmi operâ, ut Frisia tota duaeque reliquae ejus provinciae carerent. Ipse enim doctrinae Calvinisticae fautor, caverat ibi ne contraria placita vindicarentur, neve essent antistites, qui his propagandis in errores inducerent cives (1). Iccirco controversiis ecclesiasticis ubivis excitatis, paulo vehementius ejus adversus illos, qui contra sentiebant, studium in bonum publicum cessit.

(1) *Bijzonder ijverde hij voor het voortzetten van den Hervormden Godsdienst, als mede voor de zuiverheid der leer tegens de toen inkruipende Pelagiaansche dwalingen.* Foeke Sjoerds, p. 185. — *Le Comte Guillaume est parti de la Haye pour ses Gouvernemens de Frise et de Groningue (Dec. 1617), où l'on apprend que quelques Arminiens commencent à se montrer; ce qui lui a fait hâter son voyage.* Lettres de Carleton. T. II. p. 154. — Cff. Tegenw. staat v. Vriesland. D. IV. p. 538. Ypeij en Dermout. Op. cit. D. II. p. 176. seqq.

Quum autem suis non timeret ab universa contagione, laborantibus foederatis consilio et ope affuit, id efficere studens, ut, quoad ejus fieri posset, in concordiam redigeret omnes. Nam religionis causam non defendi, deseri ab aliis, ab aliis impugnari, ab universis non eo animi candore coli, ut esset vitae bene instituendae norma et exemplum, ferre ejus probitas non poterat. Ut cessarent lites, auctor Hollandiae Ordinibus (m. Feb. 1613) fuit, ut ex utraque factione tres legerentur, qui deliberarent de optima ad placandos animos via ineunda: eoque proposito ipse ex Anglia redux, mitigatâ adversus Remonstrantes animi irâ, Hagam ad se vocaverat ex utrisque partibus singulos antistites, Uytenbogardum, et Festium Hommium, singulos deinceps obtestans, si quam nossent conciliandae pacis rationem, nollent celare. Sed nullâ ratione inventa, deliberationes, Delftae initae, vanae fuere (1). Tum vero posthac studiosius ea

(1) *Graeve Willem Lodewijk, die te dezer tijd in den Haag was, heeft bij zich ontboden D. Joh. Utenbogaert en D. Festius Hommius, den eenen voor, den anderen na, en hij heeft met een' bijzonderen Christelijken ijver dezelve afgevraagd, of zij geenen raad of middel wisten, om deze droeve kerkelijke twisten (die ook de politieke regering in tweedragt en scheuring bragten) te doen ophouden, hen beide vermanende, hierover zich ernstelijk te bedenken en te samen te beraadslagen enz.* Baudart. l. V. p. 1. Cf.

de re agi coeptum, atque cohortante Guilielmo illuc perventum, ut anno 1618 Conventus Ecclesiasticus universus indiceretur, eique Bogermannus, doctrinae Christianae apud Leovardianos interpres, praeses daretur (1). Quod vero Guilielmo crimini dari solet, auctorem eum praecipuum Mauritio fuisse, ut quovis modo caussam Remonstrantium debilitaret, idque et antea clam fecisse, et vero palam, quum discedens ab illis cum Mauritio et infinitis aliis (1617), in peculiari aede sermonibus Contra-Remonstrantium interesset, fortassis non immerito in eo reprehenditur (2). Quamquam, si reapse Mauritium prius excitaverit, ad mitiora et humaniora perducere eundem deinde studuisse dicendus est, quod cum aliunde (3) pateat, tum ex

---

Uijtenbog. p. 601. Brucherus. I. p. 371. Van den Sande. l. V. p. 66.

(1) Brandt. *Hist. der Reform.* D. IV. p. 286. Schuitep. p. 240. Lettres de Carl. T. II. p. 114.

(2) Van den Sande. l. VI. p. 76. Lettres de Carleton. T. I. p. 271. 358. II. p. 376.

(3) Aitzema. Op. cit. I. p. 4. Brandt. Op. cit. D. II. p. 206. IV. p. 286, ubi dicit: *Men gelooft, dat Prins Maurits, die soo lang tusschen beide stondt, sonder sijde te kiesen, sich eindelijk op 's Graven aenraeden, als 't Hooft verklaerde van de Contra-Remonstranten, en op sijn goedtvinden de dingen daer naer schikte, dat men, nae 't doordrijven der Nationale Synode, Bogerman, dien de Graef veel toebetroude, en met wien hij alles*

singulari, qua erga Oldenbarneveldium usus est, humanitate praeclare efficitur (1). Ac dissidii illius in aedem Haganam, cujus consilium defendi non potest, plus quam vero simile est, auctorem Guilielmum non fuisse, quod tam absurda ratio congrua cum conciliationis laudando proposito esse nequiret.

---

overleÿ, tot President maekte van de Synode. Maer te vooren, eer de saeken tot soo groote verwÿdering waeren uitgeborsten, hadt hÿ, seggen eenigen, gemaetighder insichten op het stuk der geloofsverschillen, en socht de scheuring voor te koomen. Ook heb ik in sekre aantekening op den 1en van Sprokkelmaendt des jaers 1617 gelesen, dat de Heer Mombor, Raedtsheer van 't Hof van Gelderlandt te dier tÿdt aen Johannes Coitsius en Johannes Narssius, Predikanten te Niemegen en te Bommel, hem te Aernhem begroetende, verhaelde, hoe hÿ in Vrieslandt was geweest, en de Stadthouder Graef Willem hadt hooren verklaeren, wat groot misnoegen sÿn Genade daer in hadt, dat sommige Predikanten van 't Contraremonstrants gevoelen, en met naemen Hillenius, ter gelegentheit van 't beroep van Doctor Wilhelmus Stephanus tot Aernhem, dien Doctor alle verdraeghsaemheit en dulding van de Remonstrantsche Predikanten had afgeraeden: ja dat de Graef toen hadt geseit, dat het verschil tusschen de Remonstranten en Contraremonstranten soo groot niet was, of men moght d'een en d'ander wel dulden, en in een gemeente t'samen dienen.

(1) Supra p. 185.

Longiores in aestimandis hisce Guilielmi virtutibus nolumus esse, quarum speculum viri vita, quam descripsimus, vere dici potest. Neque item in rebus, quas in militia gessit, diu morabimur, quoniam mentibus adhuc praeclara quaelibet facinora obversantur. Sed quae peculiaria ejus in artem militarem et tacticam merita celebrantur, haec memorare ac laudare, ob maxima, quae inde effloruere, commoda, paulo accuratius conabimur.

Apparuit nobis ubivis laude dignus imperator, consilio, arte et singulari fortitudine excellens. Sed exquirentibus nobis, qui sit factum, ut tam praeclare de patria meritus fuerit, utque patriae fortuna tam prospere vereque divinitus ex rebus trepidis ac prope desperatis, agente Mauritio, strenueque adjuvante patrueli, emerserit, et gloriam belli tam brevi tempore tantam foederati sint consecuti, ex indole id omnino singulorum atque universae gentis repetendum est — qua non bene perspecta, incredibilis fideque indigna res videatur: — at vero accedit aliud, quod haud scio an celeritatem illam victoriarum plurimum auxerit. Scilicet, ut studii antiquitatis multiplex est et ad veram provehendam humanitatem, et ad erudiendum ingenium excolendumque animum vis et ubertas, ita probavit primum Guilielmus, eandem antiquitatem artis militaris scholam optimam esse. Quo fuit sagacissimo ingenio

et ad investiganda, quaecunque servire patriae possent, semper parato, e veterum monimentis depromere artes bellicas meditabatur. Noverat antiquorum studia et eximias militiae laudes: praeclaras Graecorum et Romanorum res gestas haud sine summa admiratione recolebat, addiscebatque rationes, quibus tanta illi peragere potuissent. Hac in re ardua sane, sed longe utilissima Eberardi Reidani operâ usus est (1), quocum indefesso labore praestantissima quaevis opera perscrutatus, adhibitâ potissimum Leonis Imperatoris Graeci militari disciplinâ, Cornputium, virum solertissimum, laboris sibi reliqui socium petere solebat. In his igitur ad egregios foederatorum usus convertendis quum foris et domi diu occupatus fuisset, tandemque successissent conatus, milites suos antiquae militiae informandos artibus curavit. Monstravit varios modos, quibus

(1) Modeste hanc operam suam reticet Reidanus (l. VIII. p. 162), refert Emmius, p. 237. et van Haren in op. Willem I. *Graaf Lodewijk van Nassau, Luit. Stadh. van Willem I in Friesland, was de eerste na de tijden der Romeinen, die de taktiek bestudeerd en in praktijk gebragt heeft. Reijd zette te dien einde uit de Grieksche en Romeinsche schrijvers voor hem over, al wat tot het militaire betrekking had, waarna de Graaf die verhalen met den Overste Cornput naging. Dit geschiedde op eene groote tafel, waarop alle evolutien in looden beelden, zoo veel mogelijk werden nagevolgd en onderzocht.* — Cf. J. Bosscha *Neêrl. Held.* p. 274. seqq.

enses, gladios, hastas, sclopeta tractare deberent: indicavit rationes, quibus instruendae, flectendae, vertendae, conjungendae, constipandae integris ordinibus acies essent, oblongas tenuesque cohortes pro magnis quadratisque induxit; eaque omnia incredibili celeritate, sive in locorum angustiis versaretur exercitus, seu in latissimo campo, exsequi jussit. Neque solam proeliandi rationem emendavit, et commodiorem fecit, verum etiam operam architecturae militari navavit, opera bellica, turres Romanorum mobiles, vias subterraneas, alia in usum redegit, ut facilior esset et expeditior obsidionis labor, et intra brevius tempus absolveretur. Primordia quidem, ut in rebus novis accidere solet, cum magnis aerumnis erant conjuncta, nec deërant etiam, qui irriderent novas artes, easque censerent inutiles esse; simul vero ac novitatis offensio sublata esset, et exercitatissimae copiae in bellum prodirent, admiratione omnium et imitatione dignae videbantur (1). *Frisiorum robora* a Grotio (2) appellantur, atque adeo parcissimus

(1) Reyd, l. VIII. p 162. l. IX. p. 176. seqq. l. XVII. p. 432. Emmius, p. 88. 227. Ulric. Huber., P. II. l. II. Sect. 2. c. 7. p. 564. Kok, *Vad. Woord.* D. XXXII. p. 197.

(2) Hist. l. II. p. 161. et l. VI. p. 293. Cf. Schuitep., p. 230.

et ad investigando
sent, semper
promere ar
quorum
ras Gr
sum
n

atqu
Quid ? qu
..a palmaria circu
, exteris nationibus innotu
..sime est. (2)

Mirum iccirco haec reputantibus nobis esse .
quit, summopere Guilielmum foederatos Ordines
adhortatum esse, ut a vulgari consuetudine disce-

(1) Decas II. l. VII. p. 460.

(2) Rem vere exponit Aubery. *Mémoires* p. 159. *L'Europe jouissoit lors d'une profonde paix; ainsi toutes les Ambassades étoient mortes dans les autres cours, d'où il n'y avoit rien à mander de considérable. Mais la seule Ambassade de Hollande étoit importante par la guerre qui s'y faisoit du côté des Hollandois sous ce fameux Capitaine, le Comte Maurice, et du côté de Flandres par cet autre Général si renommé, Ambroise Spinola Genois. Les Anglois, les Ecossois, les Danois, les Suédois, les Allemans Protestans, et les François, alloient faire leur apprentissage des armes sous le Comte; et les Allemans Catholiques, les Italiens, les Comtois, les Polonois, et les Espagnols, sous le Marquis. Ainsi il sembloit, que tout le monde Chrétien se fût donné rendez-vous en ce petit coin de Terre, pour s'entrebattre et pour se faire la guerre.* — Cff. impr. *Lodewijk de Geer. Bijd. tot de Handelgesch. van Amsterd.* 1834. p. 29. 126. Reyd. l. l. Emmius p. 69.

'bus coëgerit (1). Prae ce-
Rogermannum coluit (2);
strantes, quin similia
' et nutriverit, vix est
rh ... plurimum Eber-
', insp ... familiaritate de-
.mo virium l ... numine valebat,
mensis, celeberrin. ... t pace apud
quaquam potuerit. O ... rant, sa-
ligitur, Verium Anglum ... ii laude
saepius disciplina Guilielm ... ne mi-
ejusque florere gratia cum aliis ... e ad
mopere gavisum esse (1), omninoqu ... is-
hoc quoque fuisse tempore

Nomen Nassavium multis fatale tyrannis.

Explicitis Guilielmi Ludovici in rem civilem, ecclesiasticam et militarem meritis, restat ut de artium litterarumque studiis, quorum per totam vitam incensus amore fuit, disquiramus. De quo argumento posse nos, illustrem recolentes viri dignitate principis memoriam, non modo levem, sed peculiarem facere mentionem, et ob crescentem nominis celebritatem, et ob ipsarum emolumenta doctrinarum, et vero ad confundendos eos, qui

(1) Beyd. l. X. p. 214 XI. p. 228.

gentis Batavae laudator, Strada, *in illis spem Frisiae sitam fuisse* contendit (1). Mauritius quoque summam adhibuit diligentiam, ut ad instauratoris exemplum foederatorum exercitus tacticam illam veterem usurparent, atque alia multa, vitiosa adhuc, emendarentur. Quid ? quod non Batavorum finibus conversio illa palmaria circumscripta, sed transfusa latius, exteris nationibus innotuit et exculta felicissime est. (2)

Mirum iccirco haec reputantibus nobis esse nequit, summopere Guilielmum foederatos Ordines adhortatum esse, ut a vulgari consuetudine disce-

(1) Decas II. l. VII. p. 460.

(2) Rem vere exponit Aubery. *Mémoires* p. 159 *L'Europe jouissoit lors d'une profonde paix; ainsi toutes les Ambassades étoient mortes dans les autres cours, d'où il n'y avoit rien à mander de considérable. Mais la seule Ambassade de Hollande étoit importante par la guerre qui s'y faisoit du côté des Hollandois sous ce fameux Capitaine, le Comte Maurice, et du côté de Flandres par cet autre Général si renommé, Ambroise Spinola Genois. Les Anglois, les Ecossois, les Danois, les Suédois, les Allemans Protestans, et les François, alloient faire leur apprentissage des armes sous le Comte; et les Allemans Catholiques, les Italiens, les Comtois, les Polonois, et les Espagnols, sous le Marquis. Ainsi il sembloit, que tout le monde Chrétien se fût donné rendez-vous en ce petit coin de Terre, pour s'entrebattre et pour se faire la guerre.* — Cff. impr. *Lodewijk de Geer. Bijd. tot de Handelgesch. van Amsterd.* 1834. p. 29. 126. Reyd. l. l. Emmius p. 69.



[illegible]

cerebri [illegible]

omnino [illegible]

quamquam [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

silere inter arma Musas contendere ausi sint, est quod vehementer gaudeamus. Solebat enim omne, quod supererat a bellicis civilibusque negotiis tempus, ad lectionem librorum cum sacrorum, tum historicorum ac politicorum conferre, ut acueret ingenium, memoriam locupletaret, animum excitandis sancti, justi, venustique sensibus excoleret. Eruditos Provinciales diligebat et venerabatur, eorumque studia favore ac benivolentiâ prosequendo, palam profitebatur, tales sibi viros illustrare et condecorare patriam videri. Verissime literatorum Maecenas dicendus, cujus factum sit auspiciis, ut, si superior aetas Viglios et Hopperos tulisset, qui potentissimo Regi Hispaniae consiliarii fuissent, haud inferiores ingenio minusque eruditiores hac aetate viri florerent. Liber ad ejus aulam omnibus, quotquot vulgo excellerent, pauloque humanius essent exculti, aditus patebat, ut summo jure tanquam belli pacisque seminarium sit nobilitata. Nobiles quidem ex ejus familia tanta eminebant prudentia civili, ut apud exteras gentes res maximi momenti administrarent. Cujus rei nobis exemplum praebet legatio Petri a Regemortes, ad permovendam Elisabetham, ut ferret subsidia, anno 1594 suscepta. Primum frustra Reginam adducere in sententiam suam studuit; iterum vero ad eam admissus, tanta persuadendi vi usus dicitur, ut fere

invitam cedere suis precibus coëgerit (1). Prae ceteris omnibus Guilielmus Bogermannum coluit (2); cujus acerbitas erga Remonstrantes, quin similia apud illum studia excitaverit, et nutriverit, vix est quod dubitemus. Ex consiliariis plurimum Eberhardi Reidani et Joannis Cornputii familiaritate delectabatur. Alter imprimis ingenii acumine valebat, et rerum omnium, quae in bello et pace apud veteres et recentiores memorabiles acciderant, sapiens erat disceptator; alter in pari ingenii laude majorem artis bellicae, praesertim architecturae militaris scientiam possidebat. Hos quotidie fere ad coenam invitabat, ut Reidanum de gentium historia, de antiquis Batavorum institutis, moribus ac consuetudinibus, deque jure publico, Cornputium vero de veterum et recentiorum arte militari perite disserentes audiret (3). Ex eruditorum numero expetebat sibi potissimum Ubbonis Emmii familiaritatem; nam viri hujus cordatum ingenium Nestoreamque in consiliis dandis prudentiam saepe

---

(1) Reyd. l. X. p. 221. Schuitep. p. 227. Emmius p. 230. Successit idem anno 1604 Frederico Vervovio in aulae magisterium. M. S. cit.

(2) Fecit is Guilielmi elogium in Praefatione ad *Praxin verae Poenit.* 1616, eidemque decessuro affuit. Cf. J. Da Costa. *Inlichtingen omt. 't karakter van Maurits* p. 46 48.

(3) Emmius. p. 237. Schuitep. l. l.

miratus, cum ad se arcessere, benigne habere, per fidos domesticos, per litteras denique maximis negotiis adhibere, et a mente ejus haud temere recedere, in more positum habebat. » Ab eo tem-» pore, inquit ipse, quo ex patria Groningam » migravi, per annos viginti sex affectum Guilielmi » tam benivolum expertus sum semper, ut me » conditionis meae humillimae mihi conscium in » ruborem saepe daret, quod sane in utraque for-» tuna, imprimis in hac gravi aetate saepe solatio » et gaudio mihi fuit. " (1)

Neque tamen eruditorum duntaxat studiis mira humanitate favebat Guilielmus; latius voluntatem animi, imo vero ad posterorum salutem extendit. Namque intelligens, studiosam juventutem Frisiacam in peregrinas per totam Europam Academias Principumque aulas secedere, quod fieri sine magnis sumtibus et ipsius Frisiae detrimento non poterat, expedire provinciae putavit, ut domesticam haberent disciplinarum sedem. Ante jam mense Aprili 1584 de Seminario instituendo in Ordinum conventu deliberatum fuerat; res, proposita ab Ecclesiae ministris, placuerat Ordinibus, atque eo tendere fuerat visa, ut Theologiae et Litterarum Collegium, exclusis ceteris disciplinis, condere-

(1) Emmius. p. 5. *Effig. et Vit. Proff. Gron.* p. 47.

tur (1). Attamen consilium istud nondum expletum fuerat propter subitum Arausionensis obitum: quocirca magis serio ea de re agi coepit, postquam Guilielmus ad Gubernationem Frisiae d. 16 Oct. 1584 pervenerat. Tum vero, micantibus armis, tanta celeritate deliberationes confectae, ut postridie decretum mensis Aprilis sit confirmatum, atque salutari Gubernatoris consilio ita amplificatum, ut non modo Theologia atque Litterae humaniores, sed omnes omnino doctrinae, e quibus profici ad humanitatem posset, docerentur. Itaque conjunctim cum Delegatis Ordinum edictum promulgavit, quod ob instituti celebritatem hîc describere juvat. (2)

Gulielmus Ludovicus, Comes Nassaviae,
etc. *Praefectus Frisiae, et Ordinum*
Delegati singulis et universis salutem.

